




IOBI LUDOLFI

Sac. Cæſar. Maj. Conſiliarii,

DE





BELLO TURCICO FELICITER CONFICIENDO.

Accedunt

Epiſtolæ quædam Pii V. Pont. Max.

&

Alia nonnulla ejusdem argumenti.

FRANCOFURTI

Proſtant apud Johannem David. Zunnerum.

Anno cIɔ Iɔc LXXXVI.

SERENISSIMO PRINCIPI
Sereniſsimæq; Venetorum Reipublicæ

Iobus Ludolfus S. P. D.



Vamvis temeritatis videri poſſit, *Sereniſsime Princeps & Patres Conſcripti!* conſilia de rebus contra Turcas gerendis procul ad vos mittere, præſertim à virtutibus veteris Reip. Romanę deſumta; quas non ſolùm probè cognitas habetis, ſed ipſi quotidie exercetis; attamen ſtudium boni publici, & veneratio ampliſſimæ dignitatis veſtræ, me ad id faciendum induxit. Etenim multis modis Romanos virtute & ſapientiâ antecellitis; ut, ſi exemplum bene & ſapienter conſtitutæ Reip. quærendum ſit, nullum toto orbe perfectius

repe-

reperiri posſit; idque diuturnitas illius ſatis demonſtrat. Duo enim maxima mala, veram Rerumpubl. perniciem dudum viciſtis, *invidiam vicinorum*, & *civium ambitionem*; quorum alterum ſummâ moderatione veſtrâ: alterum optimis legibus ſuperaviſtis. Nam magnitudinem veſtram nemo lividis oculis aſpexerit, qui vos exactâ juſtitiâ uti: & alieni minimè appetentes eſſe cognovit. Inclyti autem cives veſtri, bello & pace clarisſimi, maximisque Romanorum ducibus æquiparandi, modeſtiam excolere, legibus parere, & patriæ ſuæ ſtatum amare ab ineunte ætate diſcunt; ut quamvis ſummi imperii capaces, avidi tamen illius non ſint; rarâ animi moderatione. Quippe gloriâ rectè factorum contenti, maximam laudem putant,

trium-

triumphos mereri , non verò affectare. His virtutibus apud cives vestros valentibus, Rempubl. vestram multò justius & certiùs, quàm Romanam, (quod bono omine dixerim) *Æternam* vocare licebit. Faxit Deus O. M. ut bello hoc, quod contra Barbaros feliciter geritis, etiam *Victoriosam* meritò appellare possimus. De qua re nō dubitant, qui *clementiam*, qui *justitiam* atq; *fidem* vestram spectatam habent: Quibus veluti fundamentis innixi non minus feliciter fortunæ imperabitis, ac fluctus maris domare potuistis. *Enimvero mirabili Dei providentiâ in mari fundati, maris imperio, quasi natura duce, destinati estis, ut contra torrentem Othomannicæ potentiæ in ipsò mari, tanquam in aliquo flumine,* *fir-*

firmissimum aggerē constituatis. Hæc atque alia talia me impulerunt *Sereniss. Princeps & Patres Conscripti!* ut & vobis, & reliquis fœderatis, exiguum hoc opusculum inscriberem, non quòd quidquam in eo contineri putem, quod sapientiam vestram, toto orbe celebrem, vel in minimo fugiat: sed ut majestatem nominis vestri reverenter venerarer, certâ spe fretus, quia ea trado, quæ assiduè agitis, vos cogitationes meas serenis oculis & mente benevola contemplaturos esse. Hoc unum si obtinuero, & me felicem, & Sereniss. Vestræ Reip. perpetuum cultorem & admiratorem semper profitebor. Valete. Dabam Francofurti ad Mœnum, mense Martio Anno salutis cIↃ IↃc LXXXVI.



Præfatio ad Lectores.

QVoties bella Turcica exſtitére, privatorum conſilia de iis proſperè gerendis hîc illic edita fuerunt; neque id illis, tanquam temerarium, obtrectationi fuit. Scilicet *in magnis calamitatibus obvii cujusvis conſilia æquo animo accipimus & audimus.* Sed pleriq; propulſandum modò bellum & defenſionis neceſſitatē cogitantes, de re militari ſolummodò diſſeruerunt: & *Chriſtianam cum Turcica militiâ comparantes, quibus in rebus Turca nobis ſuperiores, & nos viceversâ illis inferiores ſimus*, docuerunt; *diſciplinam militarem luxu atq; laſciviâ apud nos corruptam reprehendentes, & ſocordiam atq; veternum noſtrum increpantes, aliâ viâ, aliisq; militibus Turcas aggrediendos eſſe* cenſuerunt, ſi incolumes eſſe vellemus; ſicuti videre eſt ex *Busbequii* conſilio de re militari contra Turcam inſtituendâ; *Lazari Soranzii* Othomanno: *Achille Traduccio: Iohanne Tarnovio* comite: *Lazaro Swendio* & aliis plurimis. Quorum aliquos *Hermannus Conringius* cum brevi quadam epicriſi in unum volumen congeſſit, & bello ſuperiori An. 1664. imprimi curavit. Quæ ego, aliquò tantùm in appendice noſtra ſpecimine dato, in medio relinquere volui, ne idem mihi, quod ab *Hannibale*, *Phormioni Philoſopho* de officio Imperatoris egregiè diſſerenti, reſpondeatur. Nam ingenia militaria, conſilia bellica quamvis præſtantiſſima, à viris doctis ægerrimè admittunt.

At ego mecum reputans aliam nunc rerum faciem eſſe, & oppugnandi atq; vincendi hoſtis communis egregiam occaſionem dari, victoriamque non unius & alterius prælii, ſed belli ſperare poſſe; boni publici ſtudio unicè ductus, ea in medium proferre volui, quæ prudentiæ civili, cui ab ineunte ætate deditus fui, convenientiora videbantur; *non quid faciendum, ſed quid conſultandum & perpendendum ſit tradens, eaque cuncta viris ſummis, qui conſiliis interſunt, modeſtiſſimè ſubmittens.* Quandoquidem verò hominum animos ita comparatos eſſe ſciam, ut autoritati libentiùs cedant, quàm rationi; quod in conſultationibus graviſſimis quotidie uſu venire videmus, ubi conſilia autoritate præditorum aliis quantumvis melioribus præpollent, ideò paſſim dicta & verba clariſſimorum ſcriptorum uſurpare volui, citatis etiam locis quorum ab adoleſcentiâ mea meminiſſe potui, ut cognoſcant lectores aliorum ea eſſe. Exemplis etiam opus fuit, quæ efficaciora

ple-

plerumque sunt præceptis; quia rationes vulgò non satis validæ videntur, nisi exemplis confirmatæ fuerint. Ea ex Republ. Romana delegi, cùm adhuc integra esset & incorrupta. Nam post devictam Carthaginem, ut ipsi scriptores Romani fatentur, pedetentim degeneravit, ut rebus secundis fieri solet; & imperium ex justissimo atque optimo crudele intolerandumque factum.

Sall.Cat.10.

Sed ego primis adolescentiæ meæ annis, cum lectioni Historiæ Romanæ sedulò incumberem, verebar, ne rursus talis Rex vel populus exsurgeret, qui iisdem artibus summum in orbe imperium invaderet; præsertim cùm apud Superantium legerem, *Turcas orbis terrarum monarchiam semper sibi tanquam scopum suarum actionum propositam habere, ac ob id de invadenda Italia tanquam orbis centro cogitare.* Mox cognitis Turcarum moribus, crudelitate, avaritiâ atq; superbiâ infamibus, timorem hunc facilè deponebam. Neque etiam imaginari mihi poteram, Sultani Vezirios (sic Consiliarios suos Arabico vocabulo appellant) eo insaniæ venturos, ut vastissimum imperium, cui regendo vix pares sunt, longiùs adhuc dilatare, & eo ipso plures vicinos, id est, plures adversarios quærere: suo verò Principi, loco divitiarum quibus affluit: & voluptatum quibus abundè fruitur, plures sollicitudines & molestias creare vellent.

P.II.c.57.

Nihilominus ab Imperatore tantæ potentiæ crebræ turbæ, & perpetuæ molestiæ exspectandæ sunt, nisi semel ita reprimatur, ut alio tempore lacessere desinat, & jus & æquum continuis vexationibus præferat. Nam ut rectè Busbequius scribit: (*Conf. supra allegato*) multorum in eo stare consilia, *ut imminentem capitibus nostris pestem non aliter depelli posse credant, quàm pace aut induciis quacunq; ratione cum hoste pactis, itaq; facienda putant omnia, quò in aliquâ parte pacis cum Turcis seu prece seu pretio, seu quacunq; indignitate hareamus. Itaq; timendum esse, ne avidus imperii hostis cedendo illectus magis quàm pacatus, ad arma movenda multò ferocior reddatur, & importuno aliquo tempore, cùm quantum ille velit cedere nequimus, contra omnes invalescat.* Id verò ne unquam eveniat, opitulante Divino numine, Fœderati prudentiâ & fortitudine suâ providebunt, atque in eo omnes, rem Christianam amantes, fautores & adjutores, vel saltem supplices apud Servatorem & Redemtorem nostrum habebunt.

DE BELLO TURCICO FELICITER CONFICIENDO LIBELLUS.

§. 1 Rdua res est, populos regere, sed multò magis ardua, barbaros recens victos. Dispar genus, dissimilis lingua & mores diversi imperium eorum difficile, longè reddunt difficillimum. Quin & vincere sæpè facilius est, quàm victoriâ uti, aut victis imperitare. Quamobrem

Cap. I. Autoris Scopus & summa libelli.

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.[a]
Imo majus dedecus est, parta amittere, quàm omninò non paravisse.

2 Grave nunc bellum contra Turcas geritur; in quo magna rei benè gerendæ spes affulget. Triplici fœdere feliciter icto, hostes terra marique premuntur. Terror per omnes illorum provincias ingens: Christianorum res ubique florentes, Barbarorum verò afflictæ, victoriam amplam pollicentur. Ea ut & facilis & matura, nec non diuturna sit, fortunam virtute juvare oportet; ne rursus eveniat, quod superiori seculo, post maximam ad Echinadas navalem victoriam, ut Turca nullam aliam, nisi classis suæ jacturam senserit.

A. 1571. Non. Oct.

a) Ovid. Art. amat. L. II. v. 13.

Equidem plerique dicturi sunt: *Victoriam melius* 3
*retineri non posse, quàm si fractis jam Turcis ad exitium
usque insistatur. Idcircò multiplicandos exercitus, scribendos
supplendis legionibus milites, auxilia undique arcessenda:
commeatum, arma, stipendia conquirenda:
tributa, quanta possint, maxima exigenda; subditis autem
post hæc per otium parci posse. Interea militi ante omnia
subveniendum; milites enim esse, quibus solis res
magnæ efficiantur; bellumque tam diu gerendum, donec
Barbari omnes internecione deleantur. Sic minimum nocituros
posteritati.*

Verùmenimverò experientiâ cognitum est, & au- 4
toritate prudentissimorum virorum constat; *plura in
bello prudentia & consilio, quàm telis & manibus geri:
& firmiora esse, quæ beneficentiâ, quàm quæ vi acquiruntur.*
Arma sanè summo studio paranda, & sedulò
prospiciendum, ne milites cum fame & morbis magis
quàm cum hostibus conflictentur: ne etiam stipendia
desint, ut & vivere & disciplinam militarem exactè servare
possint. Sed bello parta, ut fortuna fert, bello facilè
amittuntur, nisi prudentiâ stabiliantur.

Plurimum verò refert, ut bellum & maxima vi gera- 5
tur, & tempestivè finiatur. Nam illud tam diu trahere,
donec hostes omnes occidione occidantur, dictu facilè
factu difficillimum est. Ii enim, ubi semel desponderint
animos, in cædes ruent: illorum desperatio victorias
cruentas, obsidiones urbium longas, si non vanas, reddet.

Co-

6 Cogitemus, quot oppida munita expugnanda, quot provinciæ occupandæ, quot millia vincenda supersint. Interim consumentur exercitus, supplementa legionum quotannis reddentur difficiliora: socii, quorum auxilia rara & cara, defatigabuntur: exhaurietur ærarium: fatiscent subjecti ministrandis pecuniis, armis & equis. Ex hostico parum adjumenti; agri hostiles sine discrimine vastantur, ne hosti subsidio sint; neque etiam nobis. Ecclesiastici generis homines autoritate summi Pontificis Viri optimi & innocentissimi, atque de re Christiana indies bene merentis, decimas fructuum suorum crebriùs solventes, pro pace magis quàm pro bello vota nuncupabunt. Fortunæ quoque meminisse oportet, quæ in bello & præliis maximè dominatur, & inopinatas nonnunquam mutationes affert. [b] Denique casus improvisi, fœdera dissolvere soliti, haud raro superveniunt. [c] Apud Turcas vis unita, apud nos inter fœderatos divisa: ad hæc res domi non satis tranquillæ, & impedita Reip. Christianæ tempora belli finem ancipitem reddere possunt; ut attritis utrimque viribus pax qualicunque præmio componenda sit, exiguo tam immensæ potentiæ damno, quæ cervicibus nostris dira semper & formidabilis imminebit, futuris temporibus, alio Sultano & aliis ducibus, nobis autem fortè discordibus, in majus exitium Christianorum eruptura.

b) Incerti exitus pugnarum, & Mars communis, qui sæpe spoliantem jam, & exsultantem evertit & perculit ab abjecto. Cic. pro Mil.

c) Exempla habes apud Thuan. Lib. 50. An. 1571. §. Sed accidit casus. Et lib. 54. Anno 1572. §. Reverso Rom. Ursino.

Id ipſum ſuo tempore prudentisſimè prævidit Summus Pontifex PIUS V. cum ſuperiori ſeculo Principes Chriſtianos ad ſacrum bellum conjunctis viribus gerendum ſolicitaret; per Nuncios ſuos in aulis prædicens: [d] *Niſi plane conficeretur Turca, robuſtiorem ſemper & ferociorem reſurrecturum, ignominiâ & irâ animos exacerbante.* Quam ſententiam ſecuta poſthæc Chriſtianorum damna ſatis comprobarunt. Igitur non de recuperandis tantùm urbibus quibusdam: nec de profligando, ſed de conficiendo bello ſeriò cogitandum, ut ſi non planè deſtruatur, ita tamen frangatur Othomannorum potentia, ne quid ab ea facilè timendum ſit Chriſtianis. Hæc ſumma conſiliorum eſto. Huc omnibus viribus incumbendum. 7

Quapropter non armis tantùm terrendi, ſed etiam benignitate & clementiâ pelliciendi ſunt Turcarum populi; excutient jugum, ſi mitius Imperium ſperare licebit. Dedentes ſe, Græci maximè, pactionibus æquis in fidem & clientelam accipiendi. Satrapæ atque præfecti deficientes teneant provincias, quibus præfuerunt; ut ſub clientela victorum ſuis legibus liberè vivant. Facto ſemel initio, & dato defectionis præmio, [e] ſequentur plures. Sic diviſum in Regulos imperium nunquam rurſus coaleſcet. *Cives domi tuti, Barbaros pro muro habebunt.* Quâ verò ratione, & quibus compendiis id potiſſimum fieri poſſit, exponere nunc conſtitui. 8

Non

d) Thuan. Lib. L. Ann. 1671. §. Dum Alexandrinus &c.

e) & hoc in mentem venit P. Pio V. qui Uluzalim hoc pacto à Turcis abstrahi poſſe putavit. Thuan. d. l. 50. Ann. 1571. §. Sub id tempus &c.

9 Non autem ſum neſcius fœderatos ſapientiſſimè rem tanti momenti curare, atque ſaluberrimis mandatis ſuos inſtruere, ut alienis monitis opus non ſit. Neque etiam eò temeritatis veni, ut tot magnos viros, quorum conſiliis res tantæ geruntur, quidquam docere velim. Multò minùs facultatem mihi ſumo, de re militari disſerendi, cujus rationem optimè norunt ſtrenui Duces, viri fortiſſimi, qui illi præſunt; quanquam etiam veterum Romanorum militiam atque diſciplinam & præmia reſpicere non inconſultum foret.

10 At dantur aliqui rerum agendarum miniſtri, ſuis ferè commodis intenti, qui lubidini vel iræ magis conſulunt, quàm cauſæ communi & Reipubl. ſaluti. Iſti ſæpiſſimè admonendi, hortandi & aliquando objurgandi ſunt, ne à tramite ſanctisſimorum præceptorum, quæ à ſuperioribus ſuis accipiunt, latum unguem diſcedant. Huc pertinet, quod S. Ludovicus Galliæ Rex Filio ſuo inter alia in mandatis olim dedit: *Sæpè ſpecta*, ait, [f] *quid Bailivi, Præpoſiti, & alii Officiales tui faciant, & in eorum actus inquire, ut, ſi quid corrigendum ſit, corrigas.*

11 Non quidem dubito fore multos, qui exiſtiment, me vetera afferre, nec à me reperta, ſed pridem nota. Fateor lubens, ſed nunquam ſatis inculcata, nec unquam ſatis obſervata. Qui, ſi putaverint vi & armis imperia celeriùs acquiri quàm conſiliis, ut quondam Pyr-

A 3 rhus

f) Ex vita S. Ludovici & quidem ex actis Collegii Rationariorum Pariſienſium.

Flor. I. c. 18. rhus Epirotarum Rex dixerat: *Facile sibi fore Orbis imperium occupare, se aut Romanis Rege, aut sibi Romanis militibus*; Illi considerent obsecro, quæ M. Porcius Cato, vir summæ claritudinis, in senatu de sua Republ. dis-
Sall. Cat. 52. seruit: *Nolite existumare*, inquit, *Majores nostros armis* Rempubl. *ex parva magnam fecisse, si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus; sed alia fuere, quæ illos magnos fecere; domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque lubidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publicè egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam, inter bonos & malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia ambi-*
B. Catil. c. 53. *tio possidet*. Ipse Sallustius, qui ista memoriæ prodidit, rerum patriarum optimè gnarus, cum parva civitatis suæ initia, bella cum opulentis Regibus feliciter gesta, animo agitaret, *gloria belli Gallos ante Romanos fuisse* fatetur; ast civium suorum egregiam virtutem cuncta patravisse. Audiamus Ciceronem in Senatu verba facientem: g Quam volumus, licet, P. S. ipsi nos amemus; tamen nec *numero* Hispanos, nec *robore* Gallos, nec *calliditate* Pœnos, nec *artibus* Græcos, nec denique hoc ipso hujus gentis ac terræ domestico nativoq; sensu Italos ipsos ac Latinos, sed PIETATE ac RELIGIONE, atq; hac una sapientia, quod Deorum immortalium numine omnia regi, gubernarique perspeximus, omnes gentes, nationesque superavimus.

Pro-

g) Orat. xxx. De Harusp. resp. §. Deinde etiam &c.

12 Profectò non arma, non exercitus Attalum Pergami: ac Nicomedem Bithyniæ, & alios non nullos Reges induxerunt, ut populum Romanum Regnorum suorum hæredem scriberent. [h] Non milites Ptolemæum Ægypti Regem impulerunt, ut Quirites Filio suo tutores daret; [i] sed innocentiæ, integritatis atq; justitiæ fama effecit, ut gentium Reges, duces, populi, nationes præsidia sibi ab hac urbe peterent. NULLA ENIM UNQUAM RESPUBLICA NEC MAJOR NEC SANCTIOR NEC BONIS EXEMPLIS DITIOR FUIT; Quis ergo miretur, his moribus Romanos maximum in terris imperium, & nomen æternum sibi paravisse. Flor.2,7,8. Liv.I. in Exord. Flor.1,18.

13 Horum ego præcipuas virtutes CLEMENTIAM, JUSTITIAM, & FIDEM perpetuæ commendationis & præclaræ FAMÆ fundamenta repræsentabo, non meis, sed illorum ferè verbis & exemplis, quibus plerique magis moventur, quàm præceptis.

14 Non dicam nunc, quanta pietate Deos suos coluerint: quàm solicitè in bellum ituri eos placare, & malefacta suorum expiare fas habuerint: quantoque studio feliciter reversi supplicationes ad pulvinaria eorum decreverint. idque in tantis tenebris; quid facturos eos putandum est, si divina religionis luce, sicuti nos, usi fuissent?

15 Quod si homines Ethnici sive utilitatis sive vanæ gloriæ studio virtutes illas excoluerunt, quanto magis Christianos id facere decet, qui tot nominibus obstricti & obligati sunt, justitiam, lenitatem & mansuetudinem

erga

h) Liv.Epit.58.& 93. Flor.2,20. Justin. 36,4.5. & 39,5,2. Jornand. de successf. Regnor.c.55.
i) Val.Max. 6,6,1.

erga quoscunque mortales exercere. Hos ego compello, hos mihi ſtudiisque meis æquiores fore ſpero, ut ſi non tantis conatibus, attamen Chriſtianæ religioni & charitati congruentia dixiſſe me pronunciaturi ſint.

Cap. II. De Clementia. Tac. H. 4,63.2.

NOvum Imperium inchoantibus *utilem eſſe clementiæ famam*, præſtantisſimus Hiſtoricorum aſſeruit. Verùm non utilis tantùm, ſed & neceſſaria eſt CLEMENTIA tam firmando novo regno, quàm parandæ victoriæ; modò terrori armorum rectè miſceatur. Eſt enim in bello perpetua quædam electio minoris mali, ubi crudelitas cum jactura rerum omnium timetur, gladii animoſe ſtringuntur: ubi verò certa ſalutis ſpes eſt, nemo vim armorum experiri voluerit. Cur enim armis vitam & libertatem tuerentur ſubjecti, quæ ultrò relinquuntur? Cur templa atq; delubra defenderent, quæ nemo violaturus eſt? Cur ſacra propugnarent, quæ non oppugnantur? Cur fortunas ſuas omnes periculis exponerent, quas ſalvas habere posſunt? Cur iras retinerent contra hoſtem quem placabilem ſibi fore ſciunt? §.1

2 Clementia quidem in pace per omnes Imperii partes longè lateque ſe diffundit; in partem humaniorem ſemper inclinat: pœnas rigidiores mitigat: dato in paucos exemplo multitudini parcit: parvis peccatis veniam, errantibus miſericordiam accommodat: pravos civium mores

mores exemplo magis quàm mulctâ corrigit. & sic benevolentiâ multitudinis animos devincit. Qui verò timeri tantùm volunt eos vicissim timere oportet, infelici & inquieto prorsus imperio, quia *nulla vis imperii tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna.* Cic. off. 2.

3 At sicuti clementia in pace delicta civium minora aut ambigua respicit, ita in bello miseriam afflictorum; domi laudabilis, foris necessaria, si & vincere & victoriâ frui velimus. Etenim nulla major calamitas bello, vita, libertas, uxores atque liberi, sacra & profana omnia, in victorum manu sunt; Cædes, incendia, sacrilegia, stupra, & quæcunque improbis militibus collibuere, nullô neque modô neque fine patrantur; noxiis atque innoxiis, idem exitus; armati pariter atque inermes cadunt non sexus, non ætas miserationem affert. Ubi autem summa sæviendi licentia, ibi maxima clementiæ occasio est.

4 Itaque Principes supremo loco constitutos Deum imitari, hominumque misereri decet; neque enim *ulla alia re propiùs ad Deum accedunt, quàm salutem hominibus dando.* Cic. pro Ligar. in fin. Istud admirationem maximam apud cives, spem apud victos, fiduciam apud deditos affert; cùm vident victorem de jure suo tantum remittere, ut mala quæ inferre possit, omittat: & bona quæ auferre possit, relinquat. Tantam magnanimitatem populi suspiciunt, odia sensim ponunt, & spem bonam concipiunt, ut victorem pro vindice; & domitorem pro datore li-

bertatis agnoſcant. Quippe clementia tacitâ quadam vi animis hominum ſeſe inſinuat, & arma ferociſſimorum manibus ſenſim quaſi extorquet; prorſus ſicut de Sole fabula fert, qui calore ſuo leni hominem veſtibus ſpoliavit, quas ventus maximo impetu abſtrahere non poterat.

Claud.Pan. Mall.i. 238.

- - - - - - *Peragit tranquilla poteſtas*
quod violenta nequit - - - - - -

Nullam certè virtutem Romani ambitioſiùs jacta- 5
verunt, quàm *paratam in deditionem venientibus clementiam*, quòd ſcirent nullam parando imperio potentiorem eſſe. *Religioſiſſimi mortales illi, victis nihil quidquam, præter injuriæ licentiam eripiebant.* Pace autem factâ, *beneficiis magis quàm metu imperium agitabant, & accepta injuria ignoſcere quàm perſequi malebant.*

Tac.Ann. 2,10,1. Sall.Cat. c.12. Id.c.9.

At inter illa, quæ hominibus ſunt cariſſima, AVITA 6
RELIGIO facilè principem locum obtinet, pro qua mortem obire parati ſunt omnes, qui illius non ſunt contemtores. Etenim quibus cœleſtia terreſtribus potiora ſunt, vitam priùs quàm illam deſerent. Iſta, mentibus hominum penitus infixa, vehementiſſimum eſt fortitudinis incitamentum: pro ea vel vincere vel mori glorioſum. Hæc ſi hoſtibus intacta relinquatur, plurimum decedet ardori pugnandi.

Sacra gentium priſci Romani nunquam violave- 7
runt, quanquam à ſuis eſſent alieniſſima; niſi gentem totam à ſtirpe delere vellent, tunc enim ſacra & profana

eâdem

eâdem ruinâ involvebantur, uti Carthagini accidit. *Vidimus* (Locrenses dicebant illis in Senatu) *cum quantâ ceremonia non vestros solùm colatis Deos, sed etiam externos accipiatis.* [k] Pompejus, qui Romanorum primus Judæos domuit, templum eorum jure victoriæ ingressus est; contentus eo, quòd nullam intus effigiem viderit. Muros Hierosolymorum diruit, delubrum mansit, ut Tacitus loquitur. Neque posthæc Romanorum curiositas eò processit, ut cum indignatione Judæorum inania adyta rursus spectare vellent. Quin potius illis permiserunt, ut templo suo alienigenas, ipsosque Romanos rerum Dominos arcerent. Orto deinde ferali illo & internecino bello, Judæi omnes perire, quàm sacris cedere maluerunt. Sic erat in fatis, alias ancipitem Romanis, quamvis tunc potentissimis, victoriam reddere potuissent. Hist. V. 9. 1.

8 Passim à Romanis culpantur illi, qui adversus Deos cujuscunque nationis grassarentur, eorumq; fana spoliarent, ac pecunias sacras diriperent. Nec rei quicquam feliciter geri posse putaverunt, priusquam tale scelus expiatum esset; verentes, *ne qui id piaculi commisissent, id non suo solùm sanguine, sed etiam publica clade luerent.* Et si sacrilego ex alia causa adversi quid contingeret, illi id crimini perpetrato tribuebant. Veluti cum Q. Fulvius Flaccus ob gravem luctum metumq; amens Liv. 39, 18.

 factus

k) de Alba à Romanis dirutâ Liv. L. I. c. 29. Publica privataque tecta solo æquata; Deûm tamen templis temperatum est.

Liv. 2.28. factus esset, vulgò *Junonis iram ob spoliatum templum alienasse mentem* ferebant.

Liberum quidem est Regibus & quicunque tutores sunt status alicujus publici, patria sacra tueri, & peregrina prohibere; quod & Romani factitaverunt. *Ast apud deditos reperta violare, sævum atque invidia plenum habetur: semel autem admissa, pactisque & pollicitationibus firmata, per vim mutare, gravi malæ fidei nomine traduci solet.* Dantur aliæ artes sat multæ tam bonæ quàm malæ, quibus gentis alicujus sacer cultus stabiliri vel pessundari potest, ut nullâ vi opus sit. 9

Quin & vera religio tam asperis remediis non eget, veritate & sanctitate suâ ipsa sese commendat, modò doctoribus securitas: auditoribus verò facultas præstetur illam liberè amplectendi. Id enim solum à summa potestate exigitur. *Verbis potius quàm verberibus res agenda*; ut Lactantius ait. *Prædicare & persuadere Ecclesiasticorum est, non cogere*; scilicet *istius militiæ arma carnalia non sunt.* Ad hos pertinet dictum Apostoli: *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Qui igitur converti nolunt, sibi imputent; exitii eorum culpam Reges & Principes non sustinebunt, si copiam salutaris doctrinæ illis abundè fecerint. Christus Apostolis suis, ad prædicandum Evangelium missis, nihil aliud injunxit, quàm *ut foras de domo vel civitate exirent ubi non reciperentur, & pulverem de pedibus suis excuterent.* Sen- 10

L.V. Div. Inst. c. 28. App. N. I.

2. Cor. 10, 4

2. Tim. 4. 2.

Matth. 10, 4

sim

ſim inſtillanda ſunt fidei myſteria. *Lac* ſecundùm Apoſtoli præceptum *talibus præbendum, non eſca, adhuc enim carnales ſunt.* 1.Cor.3,2.

11 Utique toleramus *Judæos*, occultæ in ſacratiſſimum Jeſu nomen blaſphemiæ reos; & criminationis in ſanctiſſimam ejus matrem manifeſtos, & tamen æquis oculis illos aſpicere, atque cum illis converſari & negotiari ſuſtinemus. Non eousque proceſſit *Muhammedis* impietas, qui & honorem *maximi Prophetæ Salvatori* noſtro tribuit, & *Evangelium* illius comprobavit. *Eum enim Meſſiam* vocat, *Legatum Dei & verbum & ſpiritum ejus.*[1] Quamobrem *Muſulmanni* illum venerantur, ac ob id *Evangeliorum librum* fortè acceptum in caput attollunt, & ſic more ſuo honorant. Qui ſi convinci poſſent, nullum aliud Evangelium in toto terrarum orbe extare, nec unquam extitiſſe, quàm quo Chriſtiani in hunc usque diem utuntur, næ magnam converſionis ſpem de illis concipere poſſemus.

12 Quòd ſi Muhammedanis fidem faceremus, ſacra illorum armis neutiquam peti, ſed *Turcarum fœdam avaritiam & immanem injuſtitiam, maximamq; in Chriſtianos ſævitiam belli cauſam eſſe*, certè illorum amici per Aſiam atq; Africam ſparſi, tardiores ad opem ferendam

 red-

1) Sic enim in Alcorano Sur. IV. circa finem de illo loquitur: المسيح عيسي ابن مريم رسول الله وكلمته وروح منه *Meſſias Jeſus Filius Mariæ Legatus Dei & verbum ejus & ſpiritus ex eo.* Et Alcoranum ſuum مصدق التورية والانجيل *verificantem Legem & Evangelium* paſſim prædicat vafer ille. Sur. III. in pr. Sur. IV. & al.

redderentur: neque ad auxilia, tanquam ad commune incendium restinguendum, confluerent. Istud supra
l.5. laudati Pontificis Pii V. prudentissimum consilium fuit, qui non dubitavit, literis ad *Schah-Tecmassem* Persarum Regem & *Scherif Mutahar* Arabiæ principem datis, [m] eos ad societatem & fœdus cum Christianis ineundum hortari, *odium religionis minimè allegans*, sed *Turcas tanquam communem orbis terrarum pestem extinguendos*, scribens. Canes illos vocamus; sunto tales, dummodo nobis pareant; utamur illis pro molossis, custodiendis ovibus & abigendis lupis voracibus. *Oppidò falluntur, qui oves ovibus defendere volunt; non multò sapientiores iis, qui hortos & arva, non dumis & vepribus, sed rosis & myrtis sepire satagunt.*

Verùm in tanta re ad victoriam consequendam efficacissima, de qua multò plura dici possent, longiùs pro- 13
gressus sum, nunc ad reliqua pergo, quæ homines maximè amant, qualia sunt VITA, UXORES & LIBERI, denique BONA atque LIBERTAS. Populi liberi, qui suis legibus atque institutis utuntur, nihil omnium bonorum libertate gratius habent. Gnarum id Romanis, qui victo Philippo Macedonum Rege, Græcorum civitatibus libertatem ac suas leges permiserunt, ut eas in bello,
Liv.43,18. quod contra Antiochū moliebantur, faventes haberent, uti mox pluribus dicemus. Cū ejuscemodi populis haud ita

m) XV. & XVI. Cal. Xbris 1571. Thuan. Lib. L. d. anno. §. Sub id tempus.
n) Thuan. d. l. Plura de hac re vide in App. hujus Libelli. N. II.

ita facilè transigitur. *Nisi fortè divitiis effœminati servitutem libertati opibusque suis præferre malint*; quippe *libertas in paupertate rectiùs æstimatur & acriùs defenditur*. At qui dominationi unius subsunt, ejusque arbitrium pro lege habent, faciliùs transeunt, modo vim & metum mobilitati suæ prætexere possint. Tales sunt Turcarum subjecti, quibus, si vita & bona cum sacris salva relinquantur, ingruentibus armis & ostentata mitioris imperii spe, haud diu deliberabunt quid faciendum sibi sit.

14 Quin etiam in urbium expugnationibus & præliis arma abjicientes servandi sunt, ne barbaram sævitiam, quam in hostibus tantopere odimus, ipsi exerceamus: aut omni salutis spe demtâ, illos fortiùs pugnare cogamus. Hîc milites clamabunt: *reddendam vicem barbaris in Christianos semper atrocibus: nihil opus captivis, quos custodire operosum & alere onerosum foret*. Attamen cultiorum populorum moribus ipsique humanitati multò convenientius est *arma ponentes servare, eosque captivos abducere*. Quod ut ab irato milite obtineatur, revocanda sunt servitutum jura, mercatoribus Christianis potestas facienda captos emendi & vendendi, ut per agros vastatos distribui, contumaciores verò & robustiores ad triremes mitti possint. Nam

Vendere cum possis captivum, occidere noli
Serviet utiliter &c. Hor. I. Ep. 17,14.

Sic datâ spe pretii, *avaritia militum pro clementia* erit.

Ne

Ne verò victi vitam inopem morte pejorem putent, 15
tantum bonorum relinquendum eſt, ut commodè vivere poſſint; neque militibus indulgendum, ut prædas & rapinas contra deditos exerceant. Id verò eſt, quod ab illis difficillimè obtinebitur, *ſuis enim laboribus atque vulneribus bona devictorum hoſtium deberi* putabunt, *modo ſibi pecunia illorum concedatur, clementiæ & beneficentiæ gloriam ſe ducibus facilè relicturos.* Huic rei alio pacto conſulendum, & ſtipendia exactiſſimè ſolvenda, ut neque apud ſocios, neque apud deditos prædas quærant, neque illis magis quàm hoſtibus metuendi ſint; ſed apud barbaros contumaces, vel perfidos, qui clementiam victoris ſpernentes, inclementiæ militum juſtisſimè objiciuntur.

Cap. III. De Justitia.

UT *autem clementia in ſubigendis:* 1
ita JUSTITIA in retinendis hominum animis plurimum poteſt. Omnis enim imperandi parendique ratio in ſpe & metu poſita eſt. *Spes fiduciam parit; Fiducia amorem. Metus verò reverentiam conciliat.* Sed iſta rectè temperanda ſunt, ſi ſtabile atque perpetuum imperium nobis exoptamus. *Solus amor in contemtum: terror & metus in odium facilè vertunt.* 2

Cùm autem in omni Republicâ boni & mali dentur, remedia adhibenda ſunt, quibus utrique in officio contineantur. Id verò nullâ re magis quàm *exactâ juſti-*

tia

tia effici poteſt, quæ his perniciem, illis ſalutem affert. Eſt enim *ſocietatis humanæ vinculum & fundamentum. Pacis fulcrum & tranquillitatis publicæ ſtabilimentum. Omnium Domina & Regina virtutum.* Nec alia potior causa, cur homines in ſocietates coiverint. Juſtitiæ obtinendæ causâ Reges olim creati: Respublicæ conſtitutæ; quæ illâ haud magis carere poſſunt, quàm corpus animâ. *Sine illâ regna nil ſunt niſi publica latrocinia*, eaque amota brevi corruunt atque diſſolvuntur. Imò *ne ſceleratorum quidem ſocietates diu ſine juſtitia ſtare poſſunt.*[o] Ob juſtitiam nonnulli in Deorum numerum ab Ethnicis relati fuerunt: ob eam *Principes* in ſacris literis *Dii in terris*, *& filii Excelſi* vocantur.

Cic. Off. 3.

Auguſt. de Civ. Dei.

Pſal. 81. 6.

3 *Nullum quidem tempus juſtitia vacare debet*, at in bello atq; victoria tantò major eſt illius ſplendor, quantò minus injuſtitię ratio reddi ſolet; pręſertim initio motuum, ubi bona cauſa noſtris animum addit, hoſtibus demit. Nullam virtutem magnificentiùs extulerunt Romani, & nullam efficaciorem proferendis imperii ſui finibus experti ſunt. Nullum illi *bellum juſtum* cenſuerunt, niſi quod aut *rebus repetitis* gereretur, aut *denunciatum* antè fuiſſet & *indictum.*

Cic. Off. 1.

Cic. Off. 1.

4 De defenſione, quæ juris naturalis eſt, aliiſque juſti belli cauſis, multa hîc dicere nihil attinet. At ſi res bello repetere velimus, neceſſe eſt, ut liquidò conſtet, eas nobis in pace vel vi vel dolo priùs fuiſſe ereptas. Nam

o) Ne illi quidem, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſunt ſine ulla particula juſtitiæ vivere &c. Cic. off. 2.

bona ab aliis ſine contradictione noſtra longo tempore poſſeſſa, vel longisſimo ſilentio noſtro pro derelictis habita, nec ulla in pacificationibus eorum mentione facta, armis vendicare, id non eſt ſua repetere, ſed aliena rapere, cum maximo juſtitiæ & bonæ exiſtimationis detrimento.

Ann. VI. 31. *Artabanus Parthorum* Rex, referente Tacito, *vi-* 5 *vo Germanico Romanis fidus, illo mortuo ſuperbiam in illos, & ſævitiam in populares ſumſit, fretus bellis quæ ſecunda adverſum circumjectas nationes exercuerat, ſenectutem Tiberii ut inermem deſpiciens, avidus Armeniæ, cui filium Arſacem impoſuit, addita contumelia & miſſis qui gazam à Vonone relictam in Syria Ciliciaque repoſcerent: ſimul veteres Perſarum ac Macedonum terminos, ſeque invaſurum poſſeſſa Cyro, & poſt Alexandro, per vaniloquentiam & minas jaciebat.* Nullum hic vitium omiſſum eſt, quod talem animum, qualis Artabani fuit, exercere ſolet. Depoſito metu ob bella proſperè geſta *ſuperbiam* & *arrogantiam* induit contra exteros, & *ſævitiam* contra ſuos: illis *fidem*, his *juſtum & æquum* imperium debebat, quorum neutrum præſtitit, ſed utrumq; *violavit*: ſimul *animum* detexit, *avidiſſimum* pariter ac *vaniſſimum*, ut videret filium ſuũ Armeniæ, quæ ad illum non pertinebat, dominantem: *obſoleta* atq; *plane detrita jura* ex orco reſuſcitaturus, à majoribus ſuis nunquam poſſeſſa, multo minus exercita aut retenta. Quaſi verò Cyrus & Alexander majores illius

illius fuissent, quibus ille non interruptâ serie successisset: aut illi jura sua post tot bella, pacificationes atque mutationes, apertâ animi sui significatione semper sarta tecta reservassent, atque illibata ad posteros transmisissent. Barbari hujus Regis exemplo facilè dignosci poterit quid sit res suas repetere, aut vetera & inania per vaniloquentiam poscere; quod injustissimum pariter & contumeliosum censendum. *Contumelia autem injuriæ addita, animos magis exasperat.*

6 Artabano similis fuit *Solymannus Turcarum Sultanus*, qui cum aliquando de Italia invadenda tractaret, ipsamque Romam in animo haberet, stultè sanè (ut rectissimè scribit Superantius) dicere solebat: *eam jure ad imperium Othomannicum pertinere, quòd à Constantino M. in præjudicium successorum fuerit alienata.* De Imper. Turc. P. II c. 57.

7 Egregiè hac de re disseruit Ludovicus Gonzaga Niverniensium Dux cùm de Pinarolio & Saviliano Sabaudis restituendo superiori seculo apud Regem Galliæ ageretur. *Si Principes*, ait, *quæ à Majoribus usurpata possident, restituere teneantur, ad summas angustias plerosque, qui nunc latè regnant, redactum iri.* Addit, *si hoc valeret, quid à Pontifice, Hispaniæ Rege, Venetis, Sabaudis, ipsisque Gallis reposci possit.* Sanè totius orbis imperia inverti & perverti necesse esset, si titulos antiquarum possessionum edere deberent Reges atque Principes. Quod si quis id præsenti fortunæ confisus tentare vellet, nonne timendum haberet, ne idem ab illo, posterisque Thuan. L. 59. A. 1574.

ejus aliquando exigatur? cum æquiſſimum ſit, *quod quisque juris in alium ſtatuit, ut ipſe eodem jure utatur.* Ne privati quidem titulum tenentur edere poſſesſionis ſuæ,[p] quantò minus principes, vel ordines liberi, qui principum jure utuntur. Et ſi Reipubl. intereſt, *ne privatorum dominia ſint in incerto*, multo magis pacis publicæ, ne repoſcantur tanquam ſua, quæ quis ultra hominum memoriam pro ſuis non agnovit. Tantum de rebus repetundis.

8 Alterum juſti belli requiſitum eſt *denunciatio.* Etenim feciali populi Romani jure ſanctisſimè præſcriptum fuit, ut bellum priùs alteri parti denunciaretur; quod & cultiores populi ſemper laudabiliter fecerunt, & maxima ratione nititur. Qui enim bellum alteri indicit, cauſas ſimul manifeſtare tenetur; quod facere non dubitant ii, qui cauſæ ſuæ fidunt. Subdoli tacent, ne iniquitatem ſuam loquendo magis patefaciant; adeoque ſeſe impudentiâ contra jus & fas muniunt, nullâ idoneâ ratione fulti, modò cupitis potiantur, quicquid in buccam venit jaciunt; ut de Artabano modo memoravimus. fruſtra ſperantes, ſimplicioribus glaucoma, prudentioribus arma objici poſſe; illi, ut quod viderint, non viderint; hi verò, ut credere & dicere cogantur, quod ipſi velint.

Ineſt tamen mortalibus recti pravique ſenſus, qui 9
non

p) Notiſſimi juris hoc eſt, & optimâ ratione ſuffulti. Id petere *incivile* dicunt leges. l. cogi ii. C. de petit. her. & *nimis grave; quilibet enim intentionis ſuæ proprias afferre debet probationes.* l. 7. C. de teſtib.

non argutiis Sophistarum aut Legulejorum interpretamentis nititur, sed omnium pectoribus penitus inscriptus est, ut nulla neque vi neque arte everti possit. Si verò adulatione aut vi prematur, apud posteros erumpet. Satis arduum est in magnis Imperiis, innocentiæ famam à malevolorum obtrectationibus vindicare; nam potentiores etiamsi justè agant, injuriam facere videntur, pravâ multorum consuetudine pleraque illorum acta in deterius trahendi, quasi nihil æqui facere vellent, qui iniqua omnia impune facere possunt.

Tanto magis excelsum & generosum animum decet, actiones suas omnes exactâ justitiæ trutinâ ponderare; nihil cupere, quod non æquitati consentaneum sit; aliena autem minimè omnium appetere. Omnia posse, sed non omnia exsequi. In pactorum interpretatione sensum communem sequi; uti mox de bona fide dicemus: IV.7. Victoriâ, quod quidem difficillimum est, non superbè nec avarè uti. Si pecunia promissa solvitur, non gladium iniquo ponderi apponere, uti insolens ille regulus, Liv.5,48. Brennus Romanis fecit. Vel si coria boum pendenda sint, non terga urorum deligenda, ad quorum Tac. An.4, normam præstentur; sed potiùs æquitas, lenitas & mo- 72,2. deratio omnibus aliis commodis anteponenda.

Hoc animos hominum ad admirationem & obsequium illorum, qui summæ rei præsunt, alliciet; ad talem Principem tanquã ad commune asylum populi convolabunt: Illius fidei seq; resq; suas omnes sacra pariter &



profana committent. Ut multò justiùs quàm Pyrrhus
L. 11. Rex exclamare possimus. *O quàm facile Principi cuidam foret, orbem terrarum subigere, si aut ipse omnibus promtam & incorruptam justitiam administrare, aut ministros, qui id constanter faciant, habere posset.* Hoc
Off. 2. est, quod Cic. de Pop. Rom. prædicavit, *Quamdiu*, inquit, *imperium populi Rom. beneficiis tenebatur non injuriis; bella aut pro sociis, aut de imperio gerebantur: exitus erant bellorum aut mites aut necessarii. Regum, populorum, nationum portus erat & refugium Senatus. Nostri autem magistratus, imperatoresque ex una hac re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios æquitate, & fide defendissent.* ITAQUE ILLUD PATROCINIUM ORBIS TERRÆ VERIÙS, QUAM IMPERIUM POTERAT NOMINARI.

Insani profectò sunt illi, qui solis privatis justitiæ: 11
principibus verò utilitatis rationem habendam censent. Quasi verò justitia non in universum utilis sit, dum veteres populos coërcet & novos conciliat. Scilicet, suos cum laude regere, cum vicinis pacatè vivere, & nullo neque domi neque foris metu rebus suis tranquillè præesse, improbis illis humani generis turbatoribus nulla utilitas esse videtur, nisi novas provincias faciant, & terminos
Tac. 15, 1. 6. imperii sui sine fine dilatent. Hi sunt, *qui in summa fortuna id æquius putant quod validius. Sua retinere privatæ domus, de alienis certare regiam laudem esse.*

Quibus etiamsi concedamus, quosdam injustitiæ 12
com-

committendæ caſus perutiles dari poſſe; id tamen ſummæ rei plus nocet; nam famam lædit: odium apud exteros parit, & amorem apud noſtros minuit; quæ perniciosisſima ſunt imperantibus. Eam ob cauſam Athenienſes ex conſilio Themiſtoclis claſſem Lacedæmoniorum incendere noluerunt, quamvis id ad obtinendum maris imperium, de quo tunc certabatur, valde conducibile videretur. Val.M.6,5.

13 Tametſi ſceleratis iſtis regnare maximum injuſtitiæ pretium videatur;

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia Cic. off.3.
Violandum eſt, aliis rebus pietatem colas. ex Eurip.

id minimè tamen expedit, inimici innumeri, odium plurimorum, & ex conſcientia pravâ metus, alieni juris posſeſsionem planè turbulentam & infauſtam reddunt. Quæ ergo voluptas, quæve utilitas ex malè partis poteſt eſſe? ut taceamus & vetera & recentia exempla eorum, qui hanc regnandi cupiditatem ſuo ſuorumq; ſanguine, & fortunarum omnium amisſione expiarunt: paucisſimi regnum malè partum ad ſecundum vel tertium heredem transmiſerunt.

§.1 *JUſtitiæ tam arctè conjuncta eſt* Cap.IV. De Fide.
Fides, ut una ſine altera eſſe non posſit: & apud autores Romanos unum pro altero frequenter ponatur. Nam vir juſtus fidem nunquam fallit; & qui fidem amat, juſtitiam nunquam deſerit. Objecto tantùm differunt.

ferunt. Juſtitia enim latior eſt, & omnes actiones cum aliis ſecundum jus & fas fieri vult, quamvis nulla promiſſio præceſſerit.

Fides autem eſt dictorum & pactorum veritas & ſin- 2
cera obſervatio. Quam tam ſanctè coluerunt Romani, ut ne quidem acerrimi illorum hoſtes hac in parte quidquam illis exprobrare potuerint. Jugurtha Numidiæ &
Sall. Jug. c. 81. Mithridates Ponti Rex, profundam avaritiam, injuſti-
Id. Hiſt. IV. tiam & imperitandi libidinem illis objecerunt, perfidiæ ne leve quidem indicium proferre quiverunt.

Cic. Off. 1. Non afferemus nunc privatorum exempla; Reguli, 3
qui maluit ad ſupplicium redire, quàm fidem hoſti datam fallere. Fidem publicam, etiam cum detrimento ſuo ſacroſanctam habuere; quâ datâ Reges tametſi malè ſibi conſcii Romam venire non dubitaverunt.

Nullâ re magis crevit Reſpubl. Romana. *Carthago*
Sall. Cat. 10 contrà, imperii Romani, non verò virtutum æmula, à 4
ſtirpe interiit. Erat enim Carthaginienſium ſumma im-
Val. M. 9, 6. probitas, ita ut *Fides Punica* pro ipſo perfidiæ fonte haberetur. Nam in pace & per inducias multa nefaria fa-
Sall. Cat. 51. cinora patrabant, qualia Romani nunquam per occaſionem fecerunt. At illi variis prætextibus vicinorum jura carpentes, quidquid luberet, ſenſim ad ſe trahebant. qua re ſibi novum bellum & tandem exitium acceleraverunt. Niſi enim pactorum fides ſervetur, bella recrudeſcere oportet; quæ contra perfidos multò acerbius geruntur, & longè difficilius extinguuntur. fide, pacis atq; concordiæ fundamento, ſublatâ. Cæ-

5 Cæterum nemo facilè tam perfrictæ frontis est, ut fidem apertè frangat; Prætextus quæruntur, quibus data fides irrita reddatur. Fœdifragi quidem sunt aliqui, sed videri nolunt. Ast quia bona causa deest, dolis atque fallaciis contendunt: fœdera pro lubitu suo interpretantur, ut cupidinem imperitandi expleant. Interdum etiam figmentis utuntur, & innocentes atque pacificos calumniantur, ut Lupus agnum, quòd priores hostilia fecerint. Jugurtha parte Numidiæ non contentus, occiso fratre Hiempsale, illum *à Numidis ob sævitiam interfectum* fingebat: & cùm alterum fratrem Adherbalem quoque peteret, qui quietus, imbellis, & placido ingenio erat, *eum dolis vitæ suæ insidiatum* mentiebatur. Perseus ultimus Macedoniæ Rex, cum à Consule Romano argueretur, quòd contra fœdus his bellum intulerit, illis auxilia miserit; *jure gentium id factum* caussabatur, *ut arma armis propulsaret*. Ita factis perfidi, dictis plerumque sunt mendaces.

Sall.Jug.15. Sall.Jug.22. Liv.52,41.

6 Turcarum fidem multi quidem laudant, eamque exemplis quibusdam docere conantur. Si verò acta eorum penitiùs inspexeris, subleстam eam aliquoties cognosces; nimirum mali multoties boni sunt, ut semel cum lucro pessimi esse possint. q Exemplo sint Christiani, quibus libertatem sacrorum suorum verbis quidem pollicentur, re ipsa verò imminuunt, & per cuniculos, quà possunt, subruunt; ut in toto Oriente, speciatim in

 Ægy-

q) *I cattivi sono molte volte buoni, per esser una sola volta importantemente cattivi.* Malvezzi.

Ægypto videre est, ubi nil nisi exiguæ Christianismi reliquiæ supersunt. Inducias more Carthaginiensium raro sincerè servant, turbidos juvant; trahunt, rapiunt, quæ commoda videntur. Interim clamant, ut illi quondam,

Jer. 6, 14. *Pax, pax, & non erat pax.*

Quamobrem bona fides à mala meritò distingui- 7
tur. Bona fides argutiis rabularibus non utitur, non verba conventorum, sed mentem spectat: non suam, aut à nasutulo quodam excogitatam, sed simplicem & passim obviam interpretationem sequitur. Si verò ea verè ambigua sit, colloquia & arbitria bonorum virorum non detrectat, multò minùs eludit. Argumentis prius, quàm armis, quamvis potentior sit, sententiam suam
Cic. Off. 1. defendit. Cùm enim duo genera decertandi sint, unum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium sit hominis hoc belluarum, non confugiendum est ad posterius, quamdiu uti licet priore.[r]

Enimverò non tantùm erga externos aut hostes fi- 8
des inviolabilis esse debet, sed multò maximè erga eos, qui potestati nostræ subsunt, quibus fides tantò accuratiùs præstanda, quantò minus iniquitatem nostram ulcisci possunt. Nec id tantùm illorum, sed nostri potius causâ. Quis enim fidem habebit illi, qui suis fidus non est?

Victoriæ nihil magis obstat, quàm mala fides. 9
Frustra de amplificando imperio cogitat, cujus fides est su-

r) Omnia prius consilio quàm armis experiri sapientem decet. Ter.

ſuſpecta. Nemo enim ſe ſuaque cara pignora, fortunasque ſuas ſubjiciet illi, cui fides publica vilis eſt, qui pacta conventa, privilegia atque promiſſa indies mutat & ſubvertit.

10 Quanquam autem fidem publicam æquipollere oporteat juramento, ſi tamen expreſsè additum ſit, tantò ſanctiùs erit ſervandum, quantò minus exceptionibus uti licet, ubi ſummum numen in teſtimonium & cautionem quaſi adhibetur. Nihil hic pectore clauſum teneri poteſt, quod ſcrutatori cordium non ſit apertum: nihil tacitis conditionibus tectum, quod non in apricum producere & vindicare poſſit. Etenim nemo ſibi ſed alteri jurat; ideò non noſtra ſed alterius mens & verba ſpectanda, niſi juramentum profanare, & nos odio generis humani, & ultioni divinę ſubjicere velimus, quæ non rarò poſteros, totamque familiam atque gentem manet.

11 Joſua & proceres Iſraëlitarum, quamvis dolo dece- Joſ. 9, 19.
pti, jusjurandum Gabaonitis præſtitum ſervarunt, adhibitâ tantùm aliquâ doli pœna; ſcilicet negotium ita comparatum erat, ut etiam absque illo & licitè promitti
& honeſtè præſtari poſſet. Cui cùm Saulus Rex multò 2. Reg. 21, 1.
poſt tempore contraveniſſet, gravis pœna & domum ejus & totum Iſraëlitarum populum ſecuta eſt.

12 Maxima autem ſemper apud omnes gentes fuit ju-
risjurandi religio. *Cicero de Romanis*: Nullum vinculum Off. 3.
ad adſtringendam fidem majores noſtri jurejurando

 arctius

Idem paulo ante. arctius esse voluerunt. Idem *jusjurandum affirmationem religiosam* dicit. *Quod autem affirmatè, quasi Deo teste promiseris, id tenendum* est. Adeoque perjurii reos Nemesin divinam celeri gressu sequi certò sibi persvasum habuerunt.

Hesiod. - - - - - - *Clades mortalibus unde*
adveniunt? quoties fallaci pectore jurant.

Quæ enim alia tam gravis causa dari poterit, quòd 13
in hunc diem tanta mala tantaq; damna ab Othomannis perpessi simus, quàm ruptum Amurathi ab Vladislao Hungariæ Rege sacramentum? (Bonfin. rer. Ung. L. 36.) quod secuta est clades Varnensis: hanc autem amissio tot provinciarum atque urbium: & tandem vastitas Hungariæ; quæ si integra & incolumis mansisset, tot bella, quæ cum tanto periculo rei Christianæ huc usque gesta fuerunt, evitari potuissent.

Cap. V. De Fama.

HAs igitur virtutes, quas modò 1
memoravimus, perfecta & solida GLORIA & egregia FAMA sequitur, *ad quam Principum* (Tac. 4, 40, 2) *præcipua dirigenda. Famâ bella conficiuntur. Fama* (Tac. 13, 8, 4) *constant magna Imperia.*[s] *Ea in novis cœptis validissima, animos hominum, quò vult inclinat, consilia regit, & pondus rationibus addit. Spem & metum alit, quibus* (III. 1.) *hominum animos maximè regi diximus; bonam famam boni plerumque sequuntur consiliorum eventus.*

Id-

s) Fama maximum in bello momentum. Curt. 5, 13, 14. Fama bella stant. Idem. 3, 8, 7, & 8, 8, 15.

2 Idcirco imprimis annitendum eſt, ut arma Chriſtiana contra Turcas apud omnes gentes optimè audiant. Nam hucusque Turcæ multò pejorem de nobis, quàm nos de illis opinionem habuerunt, & inter ſuos diſſeminaverunt; quæ brevi in melius mutabitur, ſi cognoverint, apud exercitum noſtrum acrem *diſciplinam militarem* florere: duces *clementiæ, juſtitiæ* atque *æquitati* ſtudere, fraudem atque dolum abeſſe. Virtutes enim illæ non tantum id, quod diximus, operantur, ſed & famam ſui latè ſpargunt.

3 Nemo non vivere gaudet, ſub imperio juſtè & honeſtè conſtituto, ubi regimen æquabile, tributa tolerabilia & oppreſſis parata juſtitia eſt. Eò convolant populi, ubi iſta valere animadvertunt.

4 Aſt amplificationi imperii maximè nocet avaritiæ fama; Nam vaſtum animum, & proferendis magis magisque finibus ſuis intentum cuncti odere; illum vicinum habere nolunt, qui incrementa de finitimis quærere conſuevit; præſertim accedentibus malis artibus, quibus avaritia ſæpenumerò graſſatur. *Eſt* enim *vitiorum deterrimum, injuſtitiam, rapinam, fraudes aliaque mala inſatiabiliter complectens, ut mater vitiorum jure dici poſſit.*

5 Infamiam hanc inurere parabant Romanis, qui eos oderant. A qua ut ſe alienisſimos oſtenderent, munifici & liberales erant in dando, parci in accipiendo; quin & ea largiebantur, quæ ſine cujusquam reprehen- IV, 2.

ſione retinere poterant. Etenim victis Carthaginienſibus, quaſcunque urbes & agros in Africa pugnando ceperant, Maſiniſſæ Numidiæ Regi dono dederunt.

Liv. 43, 19. Devicto Philippo Macedoniæ Rege, omnibus Græciæ civitatibus, quæ ſub illius imperio fuerant, libertas & immunitas gratis data. Iſta, cum præco pronunciaret, magno ſtupore ab omnibus audita, & quia ſupra fidem, nec ſatis intellecta credebantur, repeti juſſa: mirantibus cunctis: *Eſſe aliquam in terris gentem, quæ ſuâ impensâ, ſuo labore ac periculo bella gerat pro libertate aliorum: nec hoc finitimis aut propinquæ civitatis hominibus, aut terris continenti junctis præſtet; maria trajiciat*, NE QUOD TOTO ORBE TERRARUM INJUSTUM IMPERIUM SIT, ET UBIQUE JUS ET FAS POTENTISSIMA SINT. Nulla hic *ſatisfactionis* mentio facta, quæ noſtro ſeculo bellorum omnium concluſio eſt & complementum. Sic Romani Græcos ſecuto contra Antiochum bello benevolentiſſimos habuerunt; & tandem illos ipſos, quos ſuis legibus tunc vivere juſſerunt, ſub nutum ditionemque ſuam volentes redegerunt. 6

Liv. 32, 37. Aurum, cujus ſacra fames, bello Punico ſecundo à ſociis civitatibus allatum, non acceperunt; quamvis Hannibal in Italia victorem ageret, illi autem pecuniâ maximè opus haberent. Tali populo in rebus agendis omnia prona, atque facilia factu ſunt: illis contrà, qui famam negligunt, omnia difficilia & adverſa. Quod plerumq; in *ſecunda fortuna* uſu venire ſolet, quæ etiam opti- 7.

Sall. Jug. 5. (margin note beside "bus, quaſcunque urbes")

optimos mortalium transversos agit. Quippe *superbiam* gignit: Superbia rumorum incuriosa, *famæ contemtum*; at *spretâ famâ spernuntur virtutes*, pudor omnis perit, ut fœdissima facinora sine Dei hominumvé curâ committantur; ex quo suspicio apud amicos, diffidentia apud socios, odium apud populares, & apud hostes vilipendium, deniq; eversio totius status Reip. sequitur. Tac.4,38,7

8 Multi fortunam incusant, tanquam mobilem & magnis conatibus adversam, quæ extulerit deprimere, & depressa rursum attollere, adeoque res humanas pro lubitu agitare & miscere. Si verò reputemus, quibus artibus aliqui populi magni & opulenti facti sint, & quibus virtutibus ad tantum potentiæ fastigium pervenerint: & rursus omni gloriâ exciderint, facilè cognoscemus, mutatis moribus mutationem fortunæ contigisse. nam *quilibet fortunæ suæ faber est*; neque semper favor hominum fortunam sequitur, sed plerumque fortuna famam hominumque favorem. Sall.Or.I. de Rep.ord.

Cap. VI. Epilogus & Conclusio.

1 Q*Vod si Deus Opt. Max. annueret votis*, dubitandum non est, prosperos armorum progressus alios quoque parituros fructus, ut salutaria Fœderatorum consilia inter reliquos Christianos Principes locū inveniant. SUMMUS PONTIFEX cuncta sapienter tractari videns, pro summâ suâ in rem Christianam curâ, non solum ipse pro viribus munificentiam suā continuabit, sed & Reges atq; Principes sibi addictos

per

per vulnera Christi, per communia sacra paterné hortabitur, *ut, nisi ad bellum contra communem hostem concurrere velint, saltem illo durante armis abstineant, & dilatis parumper simultatibus suis, alios suppetias laturos non impediant; aliàs, dissoluto fœdere, & distractis illorum causâ Christianorum viribus, idem fore, ac si maxima Turcis auxilia portassent, neque etiam passuros, ut posteritas dicat per eos stetisse, quo minus Turcæ ad incitas fuerint redacti.*

Papa Leo X. aliquantò plus fecit. Cùm enim *Selimus*, destructo Mamaluccorum regno, & Ægypto subjugatâ, pleræque Europæ immineret, inducias quin- 2
An. 1518. quennales omnibus Principibus Christianis, quasi ex officio indixit; Cui quidem illi paruere, sed negotium
Guicc. l. 13. fœderis sacri perfunctoriè prorsus tractaverunt, quasi periculum adhuc procul & tanti non esset. Nunc verò si tantum obtineri posset, ut exsortes belli fidem dare vellent, *se* certo temporis spatio *nihil molituros, neque ex quocunque prætextu vi usuros, aut possessiones aliorum turbaturos, certe multi metu domesticorum motuum cunctantes, faciliores ad societatem & fœdus futuri essent.*

Deinde quotcunque possunt æquis conditionibus 3
ad societatem belli incitandi; *Wallachiæ, Moldaviæ* & *Transylvaniæ despotis* libertas suarum ditionum promittenda, si deficere & in partes transire velint.

II, 12. Supra quidem memoravimus, Pium V. etiam Re- 4
gem Persarum & Arabiæ Sherifum ad fœdus commune in-

invitavisse, quod an nunc obtineri possit, valdè ambiguum est, siquidem *Muhammedani* (ut quidam ferunt) *lege prohibentur Musulmanno bellum inferre, quamdiu ille cum incredulis* (sic nos infamant) *rem gerat*. Utile tamen foret per unum vel alterum fœderatorum, qui id commodissimè facere poterit, *id tentare, illisque causas belli fusè exponere, & inducias ab illis violatas indicare*; *Persis* præcipuè, qui Turcas, eorumque ritus & mores maximè oderunt; ut quantum fieri possit, attentati cultus sacri suspicio tollatur. Nam pertinax religionis studium populos istos, magis quàm quisquam putaverit, infensos nobis reddit. Hoc ipsum in causa fuit, quod Tartari, alioquin à Turcis haud satis bene habiti, obsistentibus illorum mystis, & sacrorum præsulibus, à societate istorum nuper avelli non potuerint, quod tamen ingentibus pollicitationibus denuò tentandum.

5 At si pactum protectorium,[t] a Muhammede Christianis generaliter indultum, & a multis testibus confirmatum, in forma avthentica haberi posset, id certè multum ad commovendos illos populos contra Turcas illius contemtores valeret.

6 Cæterum schismaticos Reges invitare operæ pretium videtur, imprimis *Russorum Autocratores*. Qui, si cognoverint, Patriarchæ Constantinopolitano &

t) Cui titulus est العهد والشروط التي شرطها محمد رسول الله لاهل النصرانية Securitas & pactum quod concessit Muhammedes Legatus Dei genti Christianorum. Impressum Lut. Paris. & Lugd. Bat. A. 1655.

Græcis omnibus libertatem rituum ſuorum permitti debere, cum Coſacis ſibi addictis accurrent, maximum pondus bello allaturi. Fortasſis Moſcovitarum proceres pro ſua prudentia conſiderabunt, etiam ob cauſas domeſticas ſocietatem hanc utilem ſibi futuram, *ut ſcilicet, occupatis otioſorum turbidorumque hominum animis, atque ad bellum intentis, cohibeantur motus interni, apud dominos minorennes, eorumque conſiliarios aliàs frequentiſſimi.* Si tamen perſvaderi nequeant, cum Tartaris committendi eſſent, quos ſalvâ pace Turcica distrahere poterunt, ne Polonos invadant.

Thuan. L. 50. An. 1571 Legimus Pium V. non ſolùm legatum in Rusſiam destinaviſſe, ſed & ad *Mennam Habeſſinorum Æthiopum Regem,* quamvis Latinæ Eccleſiæ maximè adverſum, [u] literas miſiſſe, quò illum in partes pertraheret. App. N. III. eas in fine hujus opuſculi adjungemus. Si verò tales epiſtolas nunc dare è dignitate Beatiſſimi Patris non videatur, Fœderati, quibus ea copia eſt, illas commodiſſimè per legatos alioſque viros idoneos mittere poterunt; imprimis ad *Habeſſinorum Imperatorem*, qui ſemet *Regem Regum Æthiopiæ* vocat. 7

Apud hunc cauſæ belli diu quærendæ non eſſent. *Portus ejus Turcæ modicis præſidiis occupant: & Patriarcham Alexandrinum, Eccleſiæ Copticæ & Æthiopicæ caput, quaſi captivum tenent: commercia impediunt: concusſionibus perpetuis cùm negotiatores tùm alios iter* 8

u) quâ ratione P. Romanus ad tales ſcribere poſſit, Vide apud P. *Nicol. Godignum* Soc. Jeſ. *De Abaſſinorum Rebus*. L. I. c. 29.

iter facientes Christianos vexant: multaque alia facinora contra jus gentium faciunt, ob quæ quotidianæ querelæ in aulam deferuntur, quæ præsentissimam & justissimam arma movendi occasionem præbebunt. Nulla planè subsidia neque pecuniæ neque militum hìc requiruntur. Consilio tantùm & viris idoneis opus est, qui machinas bellicas tractare, usumque pulveris pyrii illos rectè doceant, & rationem oppugnandi communis hostis ostendant. Id quod hujus rei periti gratis facturi non sunt.

9 Summopere lætabuntur Habessini, cum audierint, spem esse liberandi Patriarchæ sui Alexandrini: & viam patefieri, sanctum sepulchrum, quod in præcipuâ veneratione habent, liberè visitandi. Animum illis addent *vetustissima quædam vaticinia, quæ in animo vulgi plus valent, quàm recentissimæ rationes*; nimirum *Francorum* (sic Latinos vocant) *& Habessinorum conjunctis viribus Muhammedanos sedibus suis pellendos.* Fr. Alvar. Itin. Æth. c. 98. Si autem ipsis Habessinis talem expeditionem suscipere opportunum non foret, utique finitimis suis, Arabiæ, Dungalæ aut Sennaræ Regulis commeatum, pecuniam & alia omnia, quibus bella juvari solent, contra Turcas suppeditare: deficientes verò satrapas, & præsidiorum Maris rubri [x] præfectos opibus suis sustentare, & sic per alios gravissimum Turcis negotium facessere, atq; vicinam

E 2

x) Hac parte Turcas aggredi Lusitaniæ Rex superiori seculo commodissimum & fructuosissimum existimavit. Thuan. L. 50. A. 1571. §. Cum hoc.

nam Ægyptum infeſtare poſſent. Plura huc facientia in promtu ſunt, ſi ſpes aliqua ſocietatis cum hac gente inſtituendæ daretur.

Præterea cum nauticis populis agendum, ut copias 10
ſuas navales Sereniſſ. Venetorum Reip. auxilio mittant; propoſitis præmiis, & conceſſo aliquo portu commodo, quem ſibi cum omni jure retineant. Poſt victoriam verò immunitas à vectigalibus in omnibus portubus à Turcâ captis promittenda, donec ſumtus in naves auxiliares facti liberaliter refundantur.

At ſi talem ſocietatem commerciis ſuis in mediterra- 11
neo Mari obeſſe putaverint, *ut modò Africanos piraticam exercentes retundant, ne Turcis opitulentur*; eâ enim re tanquam causâ propriâ neminem alium offendi poſſe: deinde *ne ægrè ferant, ut ex popularium ſuorum navibus arma, ferrum & alia ad bellum idonea, hoſtibus deſtinata, auferantur*, ut ea potiùs ad Chriſtianos vehere diſcant. Quo verſus autem exercitus in expedi- 12
tionem educendi: quævé provinciæ aut urbes primo loco oppugnandæ ſint, meæ tenuitatis non eſt dicere. Neq; etiam belli peritisſimus abſens & in urbe locatus ſciverit, quæ armatis agenda ſint. Quippe bellum rarisſimè ex propoſito geri poteſt, conſilium in arenâ capiendum. *Occaſiones non nobis, ſed nos occaſionibus inſervire æquum eſt.* Neque cuiquam exploratum eſſe poteſt, quomodo ſeſe habiturum ſit bellum, non dico ad æſtatem, ſed ad menſem, ad paucos dies.

Eapropter & Ducibus liberiores manus relinquen- 13

dæ:

dæ : & auxiliaribus laxiora mandata impertienda ſunt, quò nutum & imperium partis principalis ſequantur. Nam quorum res agitur, eos nihil temerè neque incautè auſuros credibile eſt ; quare eos ſequi nec inconſultum putabitur. Poſt memorabilem illam apud Echinadas pugnam, ductores auxiliariorum tempeſtivè nimis domum redierunt, mandata ſua prætexentes ; ſcilicet, qui ea dederant, de tanta victoria non cogitaverant, ideoq; de ea proſequendâ mandata dare non poterant.

14 Si tamen quæ ſentio publicè dicere liceret, optarem, *ne minuta ſectarentur exercitus, neque in reprimendo uno vel altero refractario tempus tererent.* Nam ſi victores bello ſumus, omnes illi parvi adverſarii ſuâ ſponte ſe ſubmittent : ſin minus, eò audaciùs nobis quandoque inſultabunt.

15 Aliàs in votis haberem, ut ipſum caput rerum peteretur ; cui fini maximo armatorùm numero complenda claſſis. Seſtus & Abydus, ſecundante vento, & proſpero tantisper fortunæ flatu, transitum non prohibebunt. Urbs minimè munita & ubique patens, tanto conatu attonita, ſive vi ſive pactis admiſſura eſt viros fortisſimos tantum facinus audentes. *Græcis immunitas, ſui ritus atque leges : Judæis & Servis omnium nationum ſi fidi fuerint, libertas : transfugis impunitas : ipſisque Muhammedanis ſecuritas proclamanda eſt, ſi poſitis armis admittere victores velint.* Varietas nationum in multitudinem diſperſa, & inter ſe discors, ab uno neque regi, neque validè reſiſtere poterit.

 Mili-

Militibus autem noſtris, ut imperio ducum modeſtè pareant, neque prædas ante datum ſignum agant, multò minus eas igne & ſanguine corrumpant, præmia magna è magnatum domibus promittenda, atque ſtipendia debita accuratè ſolvenda; ex quo plus lucri habituri ſunt, quàm ſi turbulenta direptione omnia diſſipentur. Præſto erunt Coſaci, victoriam hanc viribus ſuis ut viciniores conſervaturi. Majus & gravius eſt hoc facinus quàm ut hîc publicè declarari debeat, per quos & quo pacto effectui dari poſſit. Superantius conſilium hoc haud exigui laboris & temporis eſſe *(ut quidam auſi fuerint ſcribere)* cenſuit. Quod de ſtatu illius temporis intelligendum; nunc verò pavor & conſternatio populorum maxima: & præcedente aliquâ inſigni clade res perturbatæ, aliud ſuadere poterunt. Atque hunc ipſum caſum Superantius admittit. E propinquo accuratiùs id expendent, qui ſummæ rei præſunt, nec non arte & Marte rem gerere ex æquo callent. Quapropter ad alia pergo, quæ fortaſſis non minus paradoxa videbuntur.

De bell. Turc. 3, 98.

Irrideri vulgò ſolent, qui *ante victoriam Encomia* 16
canunt: & ſtultum nonnulli putabunt prædam dividere priusquàm capta ſit. At in magno fœdere, rebus ex voto fluentibus, ſalutare imò neceſſarium eſt, de partiendis provinciis inter ſe agere priusquam occupentur. Neque exemplo res caret.[y] *Nam multò faciliora ſunt pacta ante quàm poſt victoriam; quia non difficulter id alii*

cedi-

y) Videantur acta fœderis A. 1571. VIII. Cal. Jun. inter Pontificem, Reg. Hiſpaniæ & Venetos initi. Item Leo ab Aitzema Hiſtor. Pac. Belg. A. 1635. p. 174.

cedimus, quod nondum cepimus; at ſuper diviſione acquiſitorum diſcordiæ plerumque naſcuntur.

17 Non minus utile foret pacis conditiones inter ſe determinare, atque ſecretò ſibi invicem aperire quales quisque habere velit; quò Turcis pacem petentibus ab omnibus idem reſpondeatur: & unus omnium negotia gerere posſit, ſi fortè propitius Deus gratiam illi fecerit hoſtes in extremum diſcrimen adducendi, ut imperata ſeſe facturos dicant. Longum tunc foret fœderatorum ſententias exquirere, & inter ſe conciliare, aliis hoc, aliis aliud petentibus.

18 Nam præcipuè cavendum, ne unus ingratiis reliquorum ab armis diſcedat, ſed ut pax unanimi omnium conſenſu peragatur; *addita conditione, unius injuriam fractâ ab hoſtibus pace omnium fore.* Hoc pacem ſtabilem efficiet, atque ſic bello compoſito, honeſtus exitus fœderi imponetur. Quippe *fœdera quæ invitis ſociis disſolvuntur, & maximam animorum alienationem pariunt: & alio tempore ægerrimè colligantur*; dum alteri alteris malam fidem exprobrant.[2]

19 Verùm enimverò, tanta victoriæ præmia expetenda non ſunt, ut propterea dedititii & defectores deſerantur, & hoſtium crudelitati exponantur; quod infamiam indelebilem Chriſtiano nomini allaturum eſſet. Sed imprimis W*allachiæ, Moldaviæ atq; Tranſylvaniæ Deſpotis conſulendum, ut ſi fieri poſſit, immunitas plenaria*

2) Exempla recentia nimis ſunt odioſa. Vide Thuanum ſupra l. 6, c. allegatum.

naria illis obtineatur. Sic nobis ſemper fidi, ac velut li-
mitanei milites erunt, quibus limitrophos fundos quæ-
rere opus non ſit, ut fines noſtros tueantur.

Adhæc coloniæ in loca vaſtata deducendæ: & mi- 20
litibus agri hoſtiles diſtribuendi; nullo alio onere, quam
ut milites maneant, armorumq; exercitia nunquam de-
ponant: atq; delectum, orto fortè bello, patiantur; ipſi
agriculturam & pecuariam exerceant, mercaturâ adve-
nis relictâ. Plura ſucceſſus belli docebit.

Cæterum multæ rationes ſuadere videntur, *ne rur-* 21
ſus induciæ ſed perpetua pax contrahatur. Quia elapſo
induciarum tempore non omnibus æquè commodum
erit, vel ſimul inducias continuare, vel eodem tempore
bellum conjunctim reſumere.

Quamvis autem res hominum ita comparatæ ſint, 22
ut æterna pax quidem optanda, ſperanda tamen vix ſit,
ideò de certâ eâq; honeſtâ quadam belligerandi ratione
cum hoſtibus conveniendum eſſet, *ut bella à belluina*
rabie & inſano furore ad humanum aliquem modum
vertantur: ut captivis certum ſtatuatur pretium: ver-
bera atque tormenta abſint: ut incendiis abſtineatur, ru-
ſticis atque inermibus parcatur.

Fruſtra a barbaris expectari dixerit aliquis, quæ á 23
Chriſtianis ſperare vix liceat. Sed inter iſtos nunquam
hac de re actum memini; & æterna pax (ut quidem ap-
pellatur) talibus conditionibus non viſa fuit opus habe-
re. Certè, ſi quis ejuſcemodi tractatus reſpueret, ini-
qui-

quitatis & improbitatis summæ se omnibus reum sisteret. *Quivis sapiens inter præsentia etiam de futuris cogitat, quæ talia contingere possunt, ut versâ fortunâ ejusmodi stipulationem neglexisse, aliquem pœnitere possit.* Incertum enim est quid serus vesper ferat.

24 Postremò, quod primo loco dixisse oportuit, spectata Fœderatorum pietas, & commiseratio cogitatione *miserorum Christianorum sub Turcico jugo gementium* dubitare nos non sinit, quin tempore pacificationis illorum recordaturi sint; sive *Græci*, sive *Armenii*, sive *Coptitæ*, sive alio quodam nomine vocentur, modò Christi Θεανθρώπου nomen revereantur. Nec enim schismatis culpam, majoribus eorum fortè imputandam, in omnem posteritatem ferent. Homines simplices, probi atque innocentes, sine odio nostri, sine controversiarum intellectu, ritus à majoribus acceptos, sine cujusquam injuriâ retinent; gratiam, quam nunc non possunt, aliquando relaturi sunt. *Modò templa, quæ adhuc tenent, tranquillè possidere, eaque collapsa reædificare liceat: atque tributa consueta, decimatione tantùm liberorum sublatâ, solventes ac modeste parentes, sacris suis quietè uti possint.* Etenim Turcæ victoriâ humiliati, amplos tractatus pacis, & conditiones plurimas aliàs insolitas admittent, multaque concedent, quæ olim ab illis sperare haud licuit.

25 Jesus Christus pro nobis omnibus crucifixus prosperabit arma contra hostes crucis. *In hoc signo vincemus,*

mus, si crucis amicos patrocinio nostro dignabimur. DOMINI *est causa, ideo & à* DOMINO *victoria speranda.*
Prov.21,31. *Equus paratur ad diem belli*, DOMINUS *autem sa-*
Psal.67,2. *lutem tribuit.* Igitur *exsurge* DEUS *& dissipentur inimici tui, fugiant qui oderunt te à facie tua. Non autem nobis*
Psal.114,1. DOMINE, *non nobis, sed nomini tuo da gloriam; sic exultabimus & delectabimur omnibus diebus nostris.*



INDEX CAPITUM.

AP-

APPENDIX
Nonnullorum ſupra N. I. II. III. allegatorum.

N. I.

NOtabilis eſt L. Cœlii Lactantii locus, quem ſupra c. 2. §. 10. dedimus. Is libro V. cap. XX. Divinarum inſtitutionum in gentium ſævitiam contra Chriſtianos multis invehitur; ex quibus pleraque ad Turcas quadrant, quæ ideo per Epitomen hîc dare voluimus. Sic autem loquitur: *Discant igitur & ſuarum & alienarum interfectores animarum quàm inexpiabile facinus admittant: Primùm, quod ſeipſos jugulant, perditiſſimis dæmonibus ſerviendo: deinde, quòd nec ab aliis coli Deum patiuntur, ſed avertere homines ad mortifera ſacra contendunt: nitūturq́, ſummâ diligentiâ, ne qua ſit anima incolumis in terra, quæ ſalvo ſtatu ſuo ſpectet in cœlū. Qui inhærentes perſvaſioni vulgari, libenter errant, & ſtultitiæ ſuæ favent.* A quibus, ſi perſvaſionis ejus rationem requiras, nullam poſſint reddere, ſed ad majorum judicia confugiant, quòd illi ſapientes fuerint, illi probaverint, illi ſcierint, quid eſſet optimū, ſeq; ipſos ſenſibus ſpoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt. *Atque utinam ſoli errare, ſoli deſipere vellent; alios etiam in conſortium ſui mali rapiunt, quaſi habituri ſolatium de perditione multorum. Sed hæc ipſa ignoratio efficit, ut in perſequendis ſapientibus tam mali ſint, ſinganq; ſe illis conſulere, illos ad bonam mentem velle revocare. Num igitur hoc ſermone, aut aliqua ratione reddita facere nituntur?* Minimè, ſed vi, atque tormentis. O mira & cœca dementia! *In iis putatur mala mens eſſe, qui fidem ſervare conantur: in carnificibus autem bona. In iisne mala mens eſt, qui contra jus humanitatis, contra fas omne lacerantur?* An potius in iis, qui ea faciunt in corporibus innocentum, quæ nec ſæviſſimi latrones, nec iratiſſimi hoſtes, nec immaniſſimi barbari aliquando fecerunt. *Quin imò ſi qua illis fiducia eſt; vel in philoſophiâ, vel in eloquentiâ, arment ſe, ac refellant hæc noſtra, ſi poſſunt: congrediantur cominus, & ſingula quæque diſcutiant. Et quoniam vi nihil poſſunt,* (augetur enim religio Dei, quanto magis premitur) *ratione potius & hortamentis agant.* Procedant in medium Pontifices, ſeu minores, ſeu maximi, flamines, augures, item ſacrificuli, quique ſunt ſacerdotes & antiſtites religionum. *Convocent nos ad concionem, cohortentur ad ſuſcipiendos cultus Deorum, perſuadeant multos eſſe, quorum numine ac providentia regantur omnia, oſtendant origines & initia ſacrorum ac Deorum, quomodo ſint mortalibus tradita: qui fons, quæ ratio ſit, explicent. Quæ omnia non aſſeveratione propria,* (nec enim valet quicquam mortalis hominis autoritas) *ſed divinis aliquibus teſtimoniis confirment, ſicuti nos facimus.* Non eſt opus vi, & injuriâ; quia religio cogi non poteſt: verbis potius, quam verberibus res agenda eſt, ut ſit voluntas. *Diſtringant aciem ingeniorum ſuorum, ſi ratio eorum vera eſt, afferatur: parati ſumus audire, ſi doceant. Tacentibus certè nihil credimus: ſicut ne ſævientibus quidem cedimus. Nos enim non illicimus, ut ipſi objectant, ſed docemus, probamus, oſtendimus.*

F 2   Ita-

 Itaque nemo à nobis retinetur invitus. Inutilis est enim Deo, qui devotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsâ veritate retinente. Doceant isti hoc modo, si qua illis fiducia veritatis est, loquantur, discant, audeant, inquam, disputare nobiscum aliquid ejusmodi. *Jam profectò ab aniculis, quas contemnunt, & à pueris nostratibus error illorum ac stultitia irridebitur. Sciant igitur vel ex hoc ipso, quantum intersit inter verum & falsum, quando ipsi, cum sint eloquentes, persuadere non possunt, imperiti, ac rudes possunt, quia res ipsa, & veritas loquitur.* Quid ergò sæviunt, ut stultitiam suam, dum minuere volunt, augeant? Longè diversa sunt carnificina & pietas: nec potest aut veritas cum vi: aut justitia cum credulitate conjungi. Sed meritò non audent quicquam de rebus docere divinis, ne & à nostris derideantur, & à suis deserantur. Nam fortè vulgus, cui simplex, incorruptumq; judicium est, si mysteria illa cognoscat in memoriam mortuorum constituta, damnabit, aliudque verius, quod colat, quæret. *Hinc fida silentia sacris instituta sunt ab hominibus callidis, ut nesciat populus quid colat.* Sed defendenda sunt, inquiunt, suscepta publicè sacra. *O quàm inhonesta voluntate miseri errant? Sentiunt enim, nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamq; summa vi oportere defendi: sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur.* Defendenda enim religio est, non occidendo sed monendo: non sævitia sed patientia: non scelere, sed fide: illa enim malorum sunt, hæc bonorum. *Et necesse est, bonum in religione versari non malum.* Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur, atq; violabitur. Nihil enim est tam voluntarium, quàm religio: in qua si animus sacrificantis adversus est, jam sublata, jam nulla est. *Igitur Dei cultus, quoniam militia cœlestis est, devotionem maximam, fidemq; desiderat. Quomodo enim Deus aut amabit colentem, si ipse non ametur ab eo: aut præstabit peccanti, quicquid oraverit, cùm ad precandum neq; ex animo, neq; observanter accedat, &c.*

N. II.

EPISTOLA VII.

Pii V. Epist. Franc. Goubau. Hier. Catena Vita Pii V.

Illustri Viro Siecco Persarum Regi Potentissimo.

I*Llustri viro Siecco Tahamaso Persarum Regi. Spiritus veritatis illuminationem.* Nullum nobis dubium est, quin & litteris multorum & nuntiis, ac deniq; rumore ipso ad te sit allatum de ingenti & gloriosissimâ, atque adeò post hominum memoriam maximâ navali victoriâ, quam Dei O. M. ope ac benignitate, Nonis Octobris proximè præteritis, Christiani Principes fœdere sociati, in sinu Corinthiaco prælio cum validissimâ inprimisque copiosâ fe-

sâ ferocissimi ac potentissimi *Selymi Othomani Turcarum Tyranni* classe commisso, divinitus reportarunt. Quo quidem in prælio videre fuit *captas vel depressas ad trecentas easdemq; instructissimas atq; ornatissimas hostium triremes, aneis tormentis partim receptis, partim verò demersis, trierarchis suis ac ducibus navarchis, militibus atq; remigibus, cum omni apparatu militari, fusis, occisis, ac penitus occidione deletis; paucis quibusdam exceptis, qui statim arreptâ fugâ periculum evaserunt.* Quod sanè divinâ providentiâ factum esse, certè scito. Nam anno superiore non sine summo animi nostri dolore cùm intelligeremus, *Selymum* pro effrenatâ atque inexplebili aliena rapiendi cupiditate, ac pro insito sibi ac perpetuo rerum potiendi desiderio, rupto pacis vinculo, quo non ita pridem cum *dilecto Filio nostro nobiliq; viro Venetorum Principe, eâq; cum Republicâ* sese conjunxerat parens ejus *Solymanus*, quodque ipsemet, posteaquam est ad maximam illam, ac præter alias omnes formidabilem Regni potestatem evectus, arctiùs confirmaverat, cunctis sive humanis sive divinis legibus nefariè violatis, ac collectis undiq; militibus, se *Cyprium in Regnum, jam diu Venetis subjectum*, intulisse, summisque belli viribus instructum urbes crudelissimè expugnasse, diripuisseque; ac demum eam insulam omnem devastando in potestatem redegisse; ad boni Pastoris officium nobis divinitùs commissum pertinere existimavimus, tantâ super re nihil amplius esse cunctandum, sed vehementer in Deo Domino cohortari & commonere, & rogare oportere Christianos Principes omnes, inprimisque *charissimum nostrum in* CHRISTO *Filium Philippum Catholicum Hispaniarum Regem, utpote inter ceteros præpotentem & Regnorum amplitudine & multorum robore populorum, & opum divitiarumque splendore florentissimum*, ut ipsi omnes nobiscum unà, & cum iisdem Venetis, sensibus viribusque conjunctis, in istius Tyranni rabiem & furorem comprimendum, atque in eum à nefariis cogitationibus suis revocandum conspiraremus. Quo quidem laudabili utilique consilio nostro, perpetuis laboribus, assiduis vigiliis, singulari solicitudine nostrâ ac patientiâ, Deo benè juvante, feliciter constituto, Optabilem æquè ac necessariam inter nos societatem coivimus, ad laudem & gloriam Dei. Idque non quidem, quòd bellicas ac militares cogitationes libenti animo suscipiamus, cùm alioqui pacis amantissimi vindices simus; sed ut, quæ attollere superbia solet cornua, deprimamus omnino, atque adeò confringamus. Nobis igitur talem, uti diximus, ac tantam victoriam adeptis, id prorsus non solùm Christianis, sed cunctis etiam Regibus totiusque terrarum orbis Principibus maximo est adjumento futurum, inprimisque tibi, perpetuas easdemque gravissimas cum Othomannicâ domo inimicitias gerenti, pro veteri vestro & inexpiabili in eam odio à majoribus vestris hereditario quasi jure in vos usque derivato. Quod quidem facilè fiet, si hanc, quæ ultrò tibi sese offert, opportunam rei bene gerendæ facultatem haudquaquam prætermittendam esse judicaveris. Quamobrem ejus te meritò admonendum esse duximus, quin etiam ad communem utriusque nostrûm utilitatem ob oculos tibi omnino decernendum proponere voluimus, ut ejus-

 modi occasionem, divinitus oblatam, forti alacrique animo complecti ac persequi velis, quâ nullam meliorem poteris unquam reperire. Itaque primo quoque tempore justum exercitum colligere, atque in istis Orientalibus plagis de improviso communem hostem invadere debes omnino, ut, dum ipse rebus suis afflictis, atque ipsâ maximâ, quam suprà commemoravimus, clade conflictatus interjacet, possis eas, quas Othomannus clarissimis Persarum Regibus identidem intulit injurias, ulcisci; vel damna compensare ac resarcire: atque etiam ut Mesopotamiam ac Syriam provincias, nec ita pridem vobis subjectas, sed ereptas, & à Selymo iniquè per vim occupatas, eodem tempore recipias atque recuperes. Quæ res tibi haud difficilis erit obtentu. Nos enim ista nobiscum considerantes verè colligimus. *Selymus* incredibili hac calamitate fractus ac debilitatus, vidensque maritimo se spoliatum imperio, teque istinc fortissimè depugnantem, ex alia verò parte Christianos fœderatos validissimas ac fortissimas copias ex Europâ ad bellum in eum terrâ marique gerendum educentes, uno & eodem tempore tot tantosque impetus sustinere, aut paribus viribus congredi nullo modo poterit. Quapropter nos potentissimum Deum, in cujus manu Regum sunt corda, supplices deprecamur, ut te ad præclara illustriaque fortiter aggredienda facinora, ad eademque deinceps summis viribus conficienda, commoveat, accendat, inflammet; atque ut res tuas omnes ab acerbissimo ac teterrimo humani generis hoste benignè tueatur, simulque felices eventus tuos augere velit ac prosperare. Quæ quidem omnia, is quem cum his literis ad te mittimus, planiùs explicabit. Datum *Romæ* apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, *XVI. Kalend. Decembris* M. D. LXXI. Pontificatus nostri anno sexto.

EPISTOLA VIII.

Potenti Seripho[a] Mutahar Regi Arabiæ Felicis.

Potenti Seripho Mutahar, Arabiæ Felicis Regi, Spiritus veritatis illustrationem. Dubium non est, quin communis imminentium periculorum metus, injuriarumque earundem communio, ad quorumvis vel Principum vel populorum animos consociandos plurimùm valeat; tametsi maximis locorum intervallis disjuncti, aliisque permultis rationibus inæquales essent & impares. *Turcarum Tyranni*, tantâ dominandi propagandique sui fines Imperii cupiditate, tantaque divitiarum & auri siti continenter exardescunt, omnibus ut Principibus & gentibus ob id infesti esse non desinant : mor-

a) Scherif (ut Germ. pronunciant) propriè Rex non est, sed Princeps eminentis Nobilitatis, & quidem è genere Muhammedis. Talis est qui loca circa Meccam & Medinam sub ditione sua habet, tanquam Patrimonium Muhammedis, cumque Musulmanni tanquam summum aliquem Pontificem inter suos suspiciunt.

mortalesque omnes æquè sibi subjicere, eosdemque opprimere concupiscant. Sed quoniam vires suas, ac potestatem quamvis magnam, haud satis esse subinde cognoscunt; hac semper arte astutiaque sunt usi, ut tantisper, dum bellum in certos adversarios moverent, cum ceteris interim pacatos se & amicos esse simularent. Ex quo factum est, ut, summo perfidiæ scelere, *Persis*, *Arabibus*, *Græcis*, *Alemannis*, *Hungaris*, *Italis*, nobilissima Regna provinciasque identidem eripere tyrannidique suæ adjungere non dubitarint. Quarum quidem felice rerum successu, Regnique potentiâ & amplitudine, eorum audacia, temeritas atque superbia eousque pervenit, ut, qui illorum armis sese audeat opponere, neminem esse sibi persuadeant: quin omnes homines vel ad nutum dicto sibi putant audituros. His igitur consiliis *Selymus*, qui nunc *Tyrannus* imperat Turcis, diligenter instructus, anno superiore nobilissimæ Venetæ Reipublicæ *Cypri Regnum*, atque alia tùm maritima, tùm terrestria loca eidem Reipublicæ subjecta, hostilem in modum eripere cœpit atque occupare; spreto jure societatis, violatis pactis & conventis, nullaque jurisjurandi à semetipso dati habitâ ratione: neque ullâ vel minimâ occasione lacessitus. Quamobrem nos & pro paternâ, quam nobis, meritis licet imparibus, Christiani totius populi sustinendi curam Deus commisit, repentè per literas ac nuntios Christianos Principes omnes monere cœpimus & cohortari, ad conspirandum in maximam istius crudelissimi hostis nostri comprimendam insolentiam ac ferocitatem. Hinc igitur fœdere inter Catholicum Hispaniarum Regem &c.

(Sequuntur eadem, quæ in literis ad Persarum Regem.)

Neque verò nos conquiescemus unquam, donec Christianos Principes omnes incitaverimus, efflagitando, ut adauctâ societate, & quàm maximis poterunt belli præsidiis & copiis comparatis, insequenti vere terrâ marique immanem hostem circumveniant atque aggrediantur. Sed hoc ipsum etiam consilii tibi significandum esse censuimus, ut intelligeres in præsentia commodissimam tibi atque optatissimam occasionem offerri, sic ut fortasse nullam talem unquam sis habiturus, communem videlicet hostem aggrediendi ac persequendi, recuperandiq; res tuas, si quas olim ille per injuriam occupavit. *Quod quidem ad agendum, atque ad hanc ipsam & rei tuæ benè gerendæ, & istius scelerati hostis deprimendi opportunitatem arripiendam, ac summo studio complectendam, te etiam atq; etiam hortamur & suademus, ac simul etiam obtestamur.* Sic enim dubitare nemo debet, quin hostis iste circumseptus maximis ac validissimis exercitibus, & classibus divexatus, vestros simul & nostros acerrimos impetus haudquaquam sustinere queat. Potentissimus Deus optimam quamque hujusce te consilii rationem edoceat, ut prorsus moliaris id atque perficias, quod & tibi sigillatim & universo terrarum orbi sit saluti futurum; quemadmodum etiam, qui has nostras ad te literas perferet, latiùs edocebit. Datum *Romæ* apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, *XV. Kal. Decembris*, M. D. LXXI. Pontificatus nostri anno sexto.

N. III.

Chariſſimo noſtro in Chriſto Filio,

Mennæ [b] Regi Regum illuſtri Æthiopum Regi.

Fr. Goubau. d.L.V.Ep.9.

CHariſſime noſter in Chriſto Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam pro ea charitate, quâ decet, in Domino nos valde diligimus atque æſtimamus Majeſtatem tuam, utpotè magnum, excelſum ac præpotentem Principem, atq; Chriſtianæ religionis amantem: cumque præterea iſtis in oris ad gloriam & honorem Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, potentiam tuam auctam eſſe cupiamus, faciendum eſſe duximus, ut his literis noſtris certior fieres, de maximâ glorioſisſimaque victoriâ, quâ idem Dominus ac Redemtor noſter Chriſtianorum claſſem exercitumque nuper dignatus eſt. Etenim anno ſuperiore *Selymus Turcarum tyrannus*, &c.

(Hic ſequitur narratio cladis Turcicæ; quâ finitâ Pontifex ita pergit.)

Cùm igitur noſter hîc immaniſſimus hoſtis omni ſuâ claſſe diſpoliatus, graviſſimaque acceptâ clade perterrefactus, ac meritò fuſus & fractus ſuccumbat: cùmque omnis ejus ora maritima noſtrorum pateat excurſionibus, nos neque prætermiſimus antea, neque adhuc indies prætermittimus Chriſtianos Principes excitare, & impellere ad tam præclaræ nobilisque victoriæ fructus uberrimos percipiendos; ut & ipſi etiam in ſocietatem adſcripti, quantis maximis poterunt bellicis apparatibus ac viribus inſtructi, teterrimum hoſtem terrâ marique petere, atque undique cingere aggrediantur. Quocirca nos pariter hortamur Majeſtatem tuam, oramusque, ut poſteaquam potentiſſimo Deo, patri miſericordiam & Deo conſolationis, Dominoque exercituum de tam excellenti honorificaque victoria, uti nos quoque fecimus, quas decet, gratias egeris, libenti promptoque animo velis opportuniſſimam hanc captare occaſionem, *crudeliſſimi Tyranni, ac potiſſimum Chriſtiani nominis hoſtis acerrimi, temeritatem, ferociam atque ſuperbiam compeſcendi.* Id autem eveniet, ſi, undecunque fieri à te potuerit, bellum in eum commovendum eſſe decreveris, *quò longius latiusque fines tui poſſis imperii, ac ſimul Chriſti religionem propagare.* Quâ quidem in expeditione conficiendâ, nihil omnino dubitamus, quin Latini ſanguinis vires, opera & ſtudia Majeſtati tuæ ſint adjumento futura. Datum *Romæ* apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris *XV. Cal. Decembr.* M.D.LXXI. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Literas haſce Pius V. Sebaſtiano Luſitaniæ Regi curandas miſerat, rogans, ut per hominem idoneum deferrentur, ut ex epiſtolâ, ob hanc rem datâ liquet.

Num

b) Minas ſeu Menas Æthiopibus dictus fuit, cognomento Adamas Seghed Davidis F. Claudii fratris ſucceſſor. Hiſtor. Æthiop. L. II. c.6. n.29.

Num verò delatæ fuerint ambigo. Menas enim Æthiopum Rex ante annos octo mortuus fuerat, nec quicquam amplius de hac re legitur. Cæterùm ad exarandas tales literas inductus fuisse videtur Pius V. epistolâ R. Sebastiani anno superiori ad se datâ, in quâ classem in mare rubrum contra Turcas mittere promiserat, post cætera sic scribens: *Enimverò cum Reges Arabum dirâ Turcarum tyrannide premantur, in eo potissimùm laborant, ut à cervicibus suis gravissimum illud servitutis jugum excutiant; quippe qui jam ab illis defecerint, aliquotiesque terrestri commisso prælio victores evaserint: sed tamen navalibus pugnis congrediendi, aut certè navibus, ne suppetiæ ferantur hostibus, impediendi, haud pares vires habent. Itaque & nostro fœdere & à nobis expediendâ classe ipsi vehementiùs incitati, divinoque auxilio præmuniti, hostilibus minis ac terroribus contemptis, stabunt à nobis. Hac enim classe Turcarum portus atque perfugia, quæ sunt maritimis in illis oris, permittente* Deo, *conflictabuntur. Hac classe deinceps intercludetur aditus eorum navibus, quibus, pretiosissimis mercibus Orientalibusq; divitiis onustis, tyrannicum imperium suum ditare consueverunt. Hac classe fiet, ut in posterum illis facultas omnis eripiatur habendi remiges, aliosq; homines navigandi peritos, & exercitatos, quos ille Tyrannus ad classium suarum usum, vel ex Arabiâ solet evocare; quorum etiam hoc tempore ob gravissimam acceptam cladem, summâ laborat inopiâ. Tanta scilicet est in Arabiâ hujus generis hominum copia, ut ferè omnes, quorum servitio in navigationibus utuntur Lusitani, Arabes sint. Hujus præterea classis ope, maximum illud Æthiopum imperium, cujus salus & restitutio continenter solicitat Beatitudinem tuam: quodq; Turcæ sæpiùs invaserunt, ac pro eâ quâ ejus potiundi* (quod omnino Deus avertat, id enim magno Christianæ Religioni esset incommodo) *spe & cupiditate flagrant, inflammati animis insolescunt, divinâ favente clementiâ respirabit* &c.

L. V. ep. 5



N. IV.

Sequuntur excerpta notabiliora ad bellum contra Turcas gerendum pertinentia.

Augerius Gislenius Busbequius, Cæsareus quondam Legatus, ad Solimannum Turcarum Sultanum, de re militari contra Turcam instituenda.

EXposito maximo periculo in quo res Christiana tunc temporis versabatur, Exclamat: *Armis opus est! Opus est armis! Arma capessamus!* Scilicet tunc temporis in propulsando bello laborabatur, non ut nunc in prosequendâ victoriâ, & occupandis hostium provinciis, qui status rerum diversus di-

 versum agendi modum postulat. Igitur Busbequius *socordiam nostram incusat*, & *in tractando bello negligentiam, quòd copia parum idonea hosti exercitatissimo objiciantur.* Etenim invehitur in mercenarios seu conductitios; ubi Turca cum numeroso exercitu venisset, quasi interrogans, inquit: *Quem militem coëgimus? num veteranum? num exercitatum?* non opinor, sed potius huic dissimillimum. *Pulsata longè latèq; tympana; ad eorum strepitum convenere lucelli spe, quibus visum fuit. Nemo qui loricam aut thoracem unquam induerat, nec hostem à belli limine salutaverat.* Reliqui quales! *Homines luxu perditi, decoctores, ganeones, aleatores, obarati, exsules, atq; his similes* (paucis exceptis) *ferè reliqui; quos eò perduxit non patria caritas, non aquitas causa, non religionis studium, non amor exercenda virtutis, sed ebrietatis, alea, rapinarum, sacrilegiorum, stuprorum, &* (ut uno verbo dicam) *scelerum & flagitiorum omnium impunitas atq; licentia. Cum hujusmodi turbâ nullo delectu collectâ, vel potius cum fece perditorum hominum, Deo pariter atque hominibus invisorum, contra tantum hostem, sacrum videlicet auspicamur bellum. Itaque non tam militum conventus, quàm Bacchanalia, nostra castra videri possunt; ubi luxuria, corruptelis, libidine, impietate, crapulâ, tumultu, rixis, atque cadibus strepunt & permiscentur omnia. Hic tamen tam bellus miles, magnis impendiis procul est è suis sedibus excitandus: magnâq; cum jacturâ temporis, ubi etiam res summam celeritatem exigit, perducendus. Fortem & assuetum laboribus Hannibalis militem Campania luxus & delicia fregerunt: nobis nullâ opus est Campaniâ; imbelles, enervati, perditi in castra venimus. Itaq; si hostis desit, morâ paucorum mensium, aut canicula fervor, aut primorum frigorum morsus, quantumvis magnas copias nostras mactant & jugulant, &c. Revertor itaq; eò quod initio dixi: aut idoneorum armorum prasidio publicam incolumitatem tuendam: aut nullam rem relinqui, qua nos ab universo exitio vindicare possit.*

Deligi ergò Romanorum more milites vult Busbequius, non emi. Quales autem esse debeant, pluribus sic docet:

1. *E popularibus cum judicio delecti non procul arcessiti.*
2. *Qui non molliori cultus aut victui assueverint: in retenui magis quàm in divitiis educti.*
3. *Non sedentarii, sed rustici potiùs quàm urbani: in montibus potiùs quàm in campis nati.*
4. *Non vitiis aut otio deditі & à deliciis integri.*
5. *A crapula & ebrietate alieni.*
6. *Bono corporis habitu apti tolerandis laboribus.*
7. *Simplicitatem, animiq; magnitudinem vultu & oris lineamentis pra se ferentes.*
8. *Qui stipendio suo & modico victu sint contenti.*
9. *Non contumaces, turbulenti nec seditiosi.*
10. *Ab omni deniq; pradâ, praterquam concessâ abstinentes.*

Sic

Sic igitur milites suos Busbequius describit, ut verear ne paucos vel omnino nullos suo tempore invenerit, vel nunc inventurus sit. Delectus autem agere & robustissimum quemque è rusticâ juventute ad militiam legere, ab imperii ordinibus diffi. ult r obtinebitur, quanquam id, ut nunc res sunt, defendendæ libertati nostræ, & reparandæ priscæ Germanorum gloriæ consultissimum foret.

Pergit *Busbequius*, atque delectos suos milites disciplinæ militaris præceptis formandos dicit à viris rei militaris peritissimis, *summâ virtute, continentiâ & sobrietate præditis, nullisq; avaritiæ sordibus contaminatis; ne falsum militum numerum referentibus publicum fraudetur ærarium.*

Objicientibus *rem esse novam, usuiq; recepto adversam, nec à majoribus nostris, qui etiam præclaras res gesserint, usitatam*, respondet: *periculum etiam novum & non usitatum esse, ideoq; novis remediis propulsandum: Hosti vigilanti, industrio, exercitato, labori assueto, disciplinæ observantissimo, parem militem opponendum. Huc quidem plerumq; summam consiliorum nostrorum redire, ut qualicunq; pace aut induciis periculum avertere & prævenire soleamus, sed istud non semper fore in nostrâ potestate; posse enim nos aliquando intoleranda belli mole derepente obrui. Si enim Turcarum arma aliquando, quod timendum, prævaluerint, nihil nobis reliquum fieri.*

Hortatur ergo nos, ut imitemur Populi Rom. prudentiam, *qui semper præsidio militum è suis hominibus delectorum imperium suum remq; publicam & privatam tutatus sit, atq; de potentissimis Regibus triumphaverit. In eo omnes consentire qui de rebus Romanis scripserint.* Speciatim ex Vegetio de militiâ Romanâ insigniores depromit sententias, & super iis latè differit.

Porro ne quis ea, quæ proposuit, vetera nimis & obsoleta: homines autem hodie alios esse putet ac olim; Turcarum modum milites deligendi, quem ipse præsens viderit, & suo periculo didicerit, his ferè verbis refert: *Mittit quotannis Turcarum Princeps certos homines in diversas provincias, qui de pueris Christianorum tertium aut quartum quemq; poscant. His gregatim Constantinopolim perductis, qui liberaliore sunt aspectu, aut ingenio, ipsius Principis, aut Satraparum domesticis usibus applicantur. Reliqui perducuntur in locum, in quem magna hominum, præsertim rusticanorum, multitudo confluxit. Hi de istis pueris à Mangone præposito, quos lubet, petunt, qui accepto aureo, puerum tradit; priùs nomine ejus, patriâ & conditione: item annis signisq; quibus per omnem ætatem dignosci possit, in publicas tabulas relatis. Sic illi liberum est, sive rusticus sit, sive urbanus, puerum quocunque terrarum velit, in domicilium suum abducere: ubi assiduo labore atq; opere eum ut mancipium exerceat. Puero victus præbetur panis & aqua; & interdum loco obsonii, pultis aliquid aut fructuum aut herbarum: vestitus etiam, quo se adversus cœli injuriam tueri utcunq; possit. Ad hæc disciplinâ & religione Mahumedanâ instituitur. Ita deliciarum nescius, procul à propinquorum blanditiis, in virum robustum cuivis labori ferendo adolescit. Hic cum opus est ab illo fiduciario hero reposcitur, & ad*

rem

52 *rem militarem traducitur: atq; ex hoc veluti seminario, diminutis Gianizarorum legionibus, supplementum subrogatur.* Nullam tum temporis Busbequius victoriæ spem habuit, aliàs fortassis svasisset, ut Turcis, sub ditionem redactis, talionis jure idem fieret. Concludit tandem; *ista neq; nimis nova, neq; nimis vetera esse, ut non etiam ad usum nostrum revocari possint.*

2.

Lazarus Superantius (Soranzi) Patritius Venetus, egregium librum de Imperio Turcico scripsit, quem *Othomannum* vocat, qui multa scitu digna continet. Parte primâ & secundâ describit Imperium Turcicum. Rectissimè autem in præfatione monet; *Principi ad bene regendum ditionem suam necesse esse, ut & rerum suarum, & vicinorum Imperiorum perfectam habeat cognitionem.* Parte tertiâ docet, quomodo bellum cum Turcis sit gerendum, speciatim cap. LXIX. tradit: *Turcas, quæ semel occuparunt, nunquam restituere, maximè si templa vel Meschitas ibi construxerint.* Cap. LXXIX. Parænes es & officia Summorum Pontificum *Urbani, Clementis VIII.* imprimis *Pii II.* orationem ad Principes Christianos, in Concilio Mantuano congregatos refert. Cap. XCIX. & seqq. de excitandis inter Turcas seditionibus. Cap. CVI. & seqq. Quomodo bellum maritimum gerendum, & qui portus oppugnandi sint. Cap. CXV. De Dardanellis facillimè expugnandis. Cap. CXVIII. Leonis X. Consultationem de Bello Turcico inferendo exponit; & Cap. CXIX. Christianos Principes ad fœdus contra Turcas ineundum hortatur.

3.

Achilles Tarduccius libellum scripsit cui nomen: *Turca vincibilis in Ungaria.* In quò demonstrare se posse putat: *Turcam à sola Hungariâ reliquâ, adhibito exiguo Germanorum auxilio, vinci posse.* Præmittit autem p. 1. Historiæ Turcicæ Epitomen. Deinde Cap. I. de Fallaciis & artibus Ottomannicis. Cap. II. Vires, reditus & triplicem eorum militiam describit. P. II. cap. 1. & 2. Vires & militiam Christianorum & Turcarum inter se comparat, & §. 2. docet: *Pecuniam non solum belli nervum esse*; & Solonem Crœso thesauros suos commonstranti respondisse: *Bella ferro geri, igitur aurum facilè auferri posse, si quis ferro melius instructus illum aggrediatur.* Ibid. §. 1. exemplis demonstrat *multitudinem nimiam militum plus incommodi, quàm utilitatis afferre.* & §. 4. ubi de Commeatu agit, maximam difficultatem inde nasci scribit, quod *milites nostri bonis cibis & vino assveti, ægrius sustententur, præsertim propter tot meretrices, lixas & calones.* Minori apparatu Hungaros uti, minimo verò Turcas atque Tartaros.

Tandem quatuor errores refert, qui à nostris committantur: 1. *In numero militum nimis parvo vel magno.* 2. *In nimio & inconsulto pugnandi studio.* 3. *In prædis intempestive agendis.* 4. *In persequendis hostibus.*

F I N I S.

